





SYNODVS DIOECESANA CREMENSIS.

HABITA

AB ILLVSTRISS., & REVERENDISS. D.

D. MARCO ANTONIO ZOLLIO

DEI, & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO CREMENSI.

Die IX. Septembris, & duobus sequentibus In Cathedrali Cremæ. Anno M. DC. LXXXVIII.

Cum nonnullis Decretis, & Constitutionibus Apostolicis additis

Ad regimen Ecclesiarum, & ministrationem Sacramentorum præcipuè spectantibus.





BERGOMI, Apud Fratres Rubeos, 1688.

SVPERIORVM PERMISSV.



MARCVS ANTONIVS ZOLLIVS

DEI, & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPVS CREMENSIS.

Vniuerso Clero Ciuitatis, & Diœcesis suæ salutem, & paternam benedictionem.

EVulgamus nunc Typorum Opera quæcunq; in nostra nuper celebrata Synodo, vel cogente necessitate, vel suadente pietate, vel exigente temporum conditione decreuimus. Minori, quantum potuimus,

sanctionum numero vestram studuimus onerare obedientiam, vt potè qui non à multitudine, aut seueritate legum, sed à vestra in pietatem propensione morum innocentiam, totiusque Cleri sanctitatem aut restitutam, aut firmatam, aut promotam speramus. Et quanquam ad inijcienda licentiæ vincula se se in dies, siue naturæ humanæ vitio, siue Dęmonis suadela laxanti has sancire necessarium duximus, earumq; obseruantiam ab omnibus Cleri ordinibus enixè petimus, imo exigimus, ideòque quoscunque Ecclesiasticos Viros quacunq; etiam speciali nota dignos, cuiuslibet gradus, & dignitatis existant, decretis hac in Synodo pęnis, mandatis, ordinationibus, & censuris vniuersis teneri volumus, & mandamus: attamen, quia patris magis affectu, quàm auctoritate ea constituimus, quibus ad curam cùm vestræ, tùm totius Nobis crediti gregis salutis, hoc est in pastoralis nostræ solicitudinis partem vocamus, vos etiam filiorum potiùs amore, quàm pęnarum timore hæc amplexuros, ijsdemque libentissimum obsequium præstituros esse confidimus: certè nostris pro vestra incolumitate animi contentionibus hæc

gaudia,

gaudia, nostro de vestra aeterna felicitate laboranti amori has gratias expectamus. Quæcunque ergo hic scripta sunt (nam ad omnium nostrum doctrinam, & reformationem scripta sunt) alacri animo, & ea mente suscipite, qua scripsimus, & nostrum studium vestra obedientia, nostros conatus vestro studio perficite, vt omnes benè agentes, quod agimus opus Domini, prosequamur, ac per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus. Valete in Domino.



IN

IN DEI NOMINE AMEN. *Præsentis publici documenti serie cunctis vbique pateat euidentèr, & sit notum, sicuti Anno Natiuitatis eiusdem D. N. Iesu Christi, millesimo, sexcentesimo octogesimo octauo, Indictione vndecima, die verò Iouis nona mensis Septembris, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Diuina Prouidentia Papæ XI. Anno XII.*



Llustriss., & Reuerendiss. in Christo Pater DD. MARCVS ANTONIVS ZOLLIVS Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Cremensis, &c. pro celebratione suæ primæ Diœcesanæ Synodi iuxta per Dominationem suam ordinata, & disposita in editis locis solitis affixis sub diebus 9. Martij, 15. Maij, & 23. Augusti mensium proximè præteritorum, & in actis curiæ Episcopalis existentibus, & præmissa indictione sacrarum precum omnibus Ciuitatis sanctimonialibus,& ad idem inuitatis Regularium Cœtibus, circa decimam quartam horam dictæ diei post longam omnium Campanarum Cathedralis, & Ecclesiarum Ciuitatis pulsationem, quæ etiam in sero hesterni diei præmissa fuerat, descendit è Palatiò Episcopali indutus Cappa, & accessit ad Cathedralem suam Ecclesiam, & ad propriam Sedem in Choro, præeuntibus Clero Ciuitatis, & Diœcesis, nec non Canonicis eiusdem Cathedralis, ibique in habitu

Pon-

Pontificali cum Pluuiali, & Mitra, dedit initium Tertiæ, assistentibus M. Illustri, & M.R.D. Ludouico Vicomercato I. V. D. Archidiacono vices M. Illustris, & Reuer. D. Antonij Obitij I. V. D. Præpositi ægritudinis causa absentis exercente, necnon Illustribus, & M. R.R. DD. Io: Antonio Basso I. V. D. Canonico Decano, & Io: Petro Dornetto Canonico, cęteris Canonicis, & Præbendarijs in Choro existentibus, Clero verò ad ipsam Synodum conuocato in medio Ecclesiæ intra cancellos ad id paratos, & expleta Tertia, Missam de Spiritu Sancto cum Musicis, & Organo decantauit, eaque finita, cępta fuit processio ad gratiam Spiritus Sancti inuocandam ab ipsa Ecclesia Cathedrali ad Parochialem Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis, in qua processione interfuit Clerus Secularis, & Regularis, cum assistentia præfatorum DD. Canonicorum Bassi, & Dornetti cum Tunicellis à lateribus Dominationis suę Illustris., nec non dicti D. Archidiaconi Vicomercati pręeuntis cum Pluuiali, prout etiam cum Pluuiali ex concessione Episcopali, interfuerunt M.R.R. DD. Præpositi Ciuitatis, & Vicarij foranei, R.R. verò Parochi omnes cum superpelliceis mundis, & stola, cęteriuè Presbyteri cum superpelliceo, recitatisq; in ipsa Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis nonnullis precibus, redijt processio ad Cathedralem eamdem, ibiq; dimissis Regularibus, Clerus ipse, & omnes ad Synodum eamdem vocati proprium tenuerunt locum (seruato ordine, vt in Cathalogo, ipse verò Illustrissimus D. Episcopus sedit in plano Ecclesiæ super Cathedra prope vltimum gradum Presbyterij cum Pluuiali, & Mitra, & dictis Assistentibus, & mensa ante se posita, recitatis priùs Litanijs, precibusque præscriptis,

Quibus expletis M. Reuer. D. Ioseph Roncellus Rector Seminarij huius Ciuitatis elegantem, & conuenientem habuit latinam Orationem in Cathedra parata pro Secretario Synodi, & post eam Ill. & M.R.D. Canonicus Claudius

dius Sacchella Secretarius Synodi Cathedram ipsam ascendit, & iuxtà præscripta Toletani Concilij publicauit Dominationis suæ Illustrifs. Decretum, vt in actis, de non inferendo circa vocationem, locum, & sessionem, alicui præiudicio, & de præseruanda cuicunque debita præcedentia, & successiuè pronunciati fuerunt omnes Synodi Officiales, scilicet Promotor, Secretarius, Præfecti disciplinæ Synodalis, qui vota, & suffragia legitima dari curarent, Iudices ad querelas, & excusationes absentium; Confessarij pro Clero cum omnimoda facultate, etiam casuum reseruatorum, & potestatis Episcopalis non delegatæ, durante Synodo, Magistri Cęremoniarum, Ostiarij, & Notarius Synodi prout in Tabella magna, de qua in Actis, in ipsa Cathedrali Ecclesia priùs patenter exposita.

His præmissis M. Ill. & Adm R. D. Ludouicus Vicomercatus Archidiaconus I. V. D. & Synodi Promotor Deputatus in medio Ecclesiæ ante mensam, & locum sessionalem Suæ Dominationis Illustrifs., & Reuerendifs. ad effectum constare faciendi de omnium obedientia, vel contumacia aliquorum institit declarari catalogum Cleri publicari, omnes vocari, & contumaces puniri; sicq; altè lecto per D. Canonicum Secretarium ipsius vocationis decreto, & mandato contra contumaces procedendi, nec non prohibitione discedendi ab incepta Synodo sine licentia Episcopali sub pęnis, &c. vocati fuerunt omnes interesse debentes Cremensi Synodo iuxtà ordinem, & catalogum in Actis existentem, notatis absentibus, & reseruato ipsorum iudicio D. D. vt in Tabella ad id Deputatis.

Post hæc, inclinante iam die, & instante D. Promotore, indicta fuit continuatio sessionis à prandio hora vigesima prima, & data solemni benedictione per Dominationem suam Illustrifs. omnes recesserunt.

Eadem die, hora intimata, Illustrifs., & Reuerendifs. Dominus Episcopus reuersus est ad eamdem Cathedralem, &

& intra cancellos prædictos, & Sedes, omnibus in habitu congruo sedentibus, recitato ad instantiam D. Promotoris Hymno *Veni Creator Spiritus*, sedit cum Pluuiali, & Mitra in supradicto loco sessionali.

D. Secretarius euulgauit Decretū de Obedientia ab omnibus præstanda Officialibus in Tabella magna deputatis, durante Synodo, & D. Promotore requirente, lectum fuit Mandatum per ipsum D. Canonicum Secretarium, quòd omnes, & singuli Beneficiati, qui in alia Synodo professionem Fidei non emisissent, iuxtà Tridentinum *sess.* 25. *de ref. cap.* 2., eamdem emittere tenerentur, prout iuxta Bullam, & formulam S. D. N. Pij Papæ IV. fel. record. priùs ab ipso Secretario alta voce lectam emiserunt, Dignitatibus, & Canonicis profundè inclinatis ad mensam suæ Dominationis Illustris., cæteris verò genuflexis.

Successiuè D. Promotor pro executione S. Conc. Tridentini, & Const. B. Pij Quinti institit Synodo proponi aliquot probatos viros Licentiatos, siue Doctores, aut aliàs idoneos, qui munere Examinatorum Synodalium pro concursibus, & examinibus ad Parochiales Ecclesias fungerentur, ideoq; de mandato, &c. D. Canonicus Secretarius legit, & proposuit Synodo pro talibus approbandos votis secretis, & vsq; ad Synodum futuram duraturos D. D. Antonium Obitium I. V. D. Præpositum Cathedralis. Ludouicum Vicomercatum I. V. D. Archidiaconum. Ioannem Antonium Bassum I. V. D. Canonicum. Petrum Bondentū I. V. D. Can. Pęnitentiarium. Claudium Sacchellam Canonicum. Antonium Farram Canonicum Theologum. Camillum Clauellum Canonicum I. V. D. Ioannem Baptistam Dornettum I. V. D. Præpositum S. Iacobi Maioris. Ioannem Baptistam Venturellum S. T. D. Præpositum Sanctissimæ Trinitatis. Petrum Antonium Vailatum Archipresbyterum Offanengi. Federicum Benellum Rectorem Bagnoli. Ioannem Antonium Tolottum Archipresbyte-

rum Ripaltellæ Arpinotum, Stephanum Patrium Rectorem Moscazani, Ioannem Airoldum, & Ioannem Baptistam Doctum.

Dictis Examinatorum propositorum nominibus euulgatis, lectum fuit Decretum in virtute S. Obed. mandans omnibus votum ferentibus, quòd vnicum à singulis daretur suffragium, remota omni fraude, & suffragiorum multiplicatione, & subinde pro vnoquoq; ex propositis separatim datis à tota Synodo secretis suffragijs In mensa Illustrissimi à me Notario, & Cancellario numeratis, vt in Actis, inuentum fuit omnes prædictos à maiori parte suffragantium approbatos fuisse, prout statim alta voce publicaui, & ipsi sic electi, & approbati ordine suprapposito, & modo prædicto, ad Sancta Dei Euangelia iurauerunt de munere eorum fideliter exercendo, &c.

Iuramentis prædictorum per me receptis in Actis, instante D. Promotore, Dominatio Sua Illustriss. & Reuerendiss., nocte iam ingruente, secundam futuram sessionem pro sequenti die Veneris X. Septemb. hora XIII. per D. Secretarium intimauit, & data Pastorali Benedictione, omnes recesserunt.

Die itaq; sequenti, hora enunciata, & ordine antescripto, post Missam de Requiem à Canonico Hebdomadario celebratam, assistente in solio solito Illustriss., & Reuerendissimo Episcopo, idem Illustrissimus Pluuiali, & Mitra indutus, sedens in supradicto loco sessionali in Cathedra ad gradus Presbyterij, graui Oratione, & Pastorali concione de doctrina Ecclesiasticis viris necessaria sermonem habuit, quo per Synodum attentissimè audito, ad minuendam temporis iacturam, quæ ex multitudine suffragantium in electione ad munera synodalia emergebat, propositum fuit, mandato Suæ Dominationis Illustriss., & Reuerendiss. legente D. Canonico Secretario, Decretum compromissi, in quo vnà cum Dominatione Sua Illustrissima

no-

nomine totius Synodi vota darent pro electionibus futuris Dignitates Capituli, & quatuor eiusdem Canonici, & tres Præpositi nuncupati Ciuitatis, pro Clero Vrbano; & pro Clero Diœcesano omnes sex Vicarij Foranei vnà cum quatuor ex Parochis Titulatis senioribus Diœcesis.

Audito ad temporis redemptionem opportuno decreto, Synodus integra, datis suffragijs, illud plenè approbauit, cuius vigore omnes Compromissarij prædicti ante mensam Suæ Dominationis Illustrissimæ in recta linea sedentes vota dedere pro approbatione Iudicum Synodalium à Sua Dominatione Illustris. instante D. Promotore, per D. Can. Secretarium propositorum, qui omnes maiori parte votorum prædictorum approbati fuerunt, nempe D. D. Antonius Obitius I. V. D. Præpositus Cathedralis. Ludouicus Vicomercatus I.V.D. Archidiaconus. Io: Antonius Bassus I.V.D. Canonicus. Petrus Bondentus I.V.D. Can. Pœnitentiarius, ac Vicarius Generalis Episcopalis. Franciscus Fadinus I.V.D. Can. Antonius Farra Can. Theol., & Camillus Clauellus I.V.D. Canonicus.

Recepta in Actis per me Notarium, & alta voce publicata dictorum D.D. Iudicum Synodalium approbatione, D. Promotor institit per Dominationem suam Illustris., & Reuerendiss. viros idoneos ex corpore Cleri destinari cum libera facultate, & mandato agendi in iudicio, & extra tanquam Defensores, & Procuratores totius Cleri Cremensis in omnibus negotijs, & occurrentijs, in quibus de interesse eiusdem Cleri agi contingeret; ideoque mandato suæ Dominationis Illustris. voce D. Canonici Secretarij vti tales Procuratores, & Defensores ad aliam vsq; Synodum duraturi nominati fuerunt, & successiuè à maiori parte D.D. Compromissariorum secretis suffragijs approbati D. D. Antonius Obitius I. V. D. Præpositus Cathedralis. Ludouicus Vicomercatus I. V. D. Archidiaconus. Antonius Farra Can. Theologus. Antonius Plaranicus Canon.

Io: Baptista Tinctorius Can. Ioannes Baptista Dornettus I.V.D. Præpositus nuncupatus S. Iacobi Maioris. Ioannes Baptista Venturellus S.T.D. Præpositus nuncupatus Sanctissimæ Trinitatis. Petrus Antonius Vailatus, Archipresbyter Offanengi. Io: Baptista Regalus Rector Ripaltæ nouæ, & Ioannes Andreas Tolottus Archipresbyter nuncupatus Ripaltellæ Arpinorum, prout ipse, facta diligenti votorum numeratione, alta voce publicaui, & in Actis recepi.

Deinde mandato suæ Dominationis Illustrissimæ per me Notarium, & Cancellarium proposita fuit electio vnius Deputati ad regimen V. Seminarij, stante dicti officij vacatione, cuius prouisio in persona ex gremio Cleri Vrbani eligenda pertinet ad Clerum legitimè congregatum iuxta textum Tridentini *sess.* 23. *c.*25. ideoq; inter plures in scrutinio nominatos maiorem votorum numerum exegit Adm. Reu. D. Ioannes Baptista Venturellus S.T.D. Præpositus nuncupatus Sanctissimæ Trinitatis, & sic electus, & deputatus remansit.

Quibus expletis, instante D. Promotore, per D. Can. Secretarium enunciatæ, intimatæ, & publicatæ fuerunt Constitutiones Concilij Tridentini de Parochorum, & Canonicorum residentia *sess.* 23. *cap.* 1. *& sess.* 24. *cap.* 12., decreta S. Congr. de celebratione Missarum mandato Sanctissimi D. Vrbani Papæ VIII. emanata anno 1625. necnon Constitutiones Gregorij XV. contra solicitantes in confessione, Sixti V. contra Beneficiatos non incedentes in habitu, & tonsura, B. Pij V. contra confidentias beneficiales, eiusdem contra Simoniacos, Vrbani VIII. de festorum celebratione, necnon Clementis X. anni 1670. de Regularium priuilegijs circa prædicationem Verbi Dei, & Sacramentorum administrationem; quibus expletis mandato suæ Dominationis Illustriss. idem D. Can. Secretarius præcepit Parochis, & Beneficiatis omnibus, quòd eadem die post vesperas hora 21. conuenire tenerentur coram D. D.

De-

Deputatis ad ſcrutinia in presbyterio Cathedralis, & in Capella S. Pantaleonis iuxta cuiuſq; Claſſem, vocationem, & ordinem ſtatutum, & aſſignatum in tabella magna Officialium huius Synodi affixa in Eccleſia, & vt in Actis, & in dictis locis reſpondere tenerentur ſuper iis, ſuper quibus à dictis DD. Scrutatoribus interrogari contingeret, iuxtà aliam tabellam ſcrutinii, & vt in Actis, &c. Quo mandato publicè audito inſtitit D. Promotor pro indictione tertiæ ſeſſionis pro die craſtina ſequenti, hora 15. & lecta per D. Can. Secretarium tali intimatione, & data Paſtorali Benedictione, omnes abiere.

A prandio eiuſdem diei loco, & hora denunciatis, habita fuerunt ſcrutinia omnium Parochorum, & Beneficiatorum à D. D. Præſidibus vt in tabella magna deputatis, & iuxta methodum tabellæ ſcrutinii, de quibus in actis.

Die Sabbathi XI. Septemb. hora circiter XV. Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Epiſcopus Pontificalibus indutus aſtitit Miſſæ ſolemni de B. V. M. celebrata à Canonico Hebdomadario, poſtea deſcendit ad locum, & cathedram ſeſſionalem, & ad ſolitam menſam apud vltimum gradum Presbyterii erectam, ibiq; diſertiſſimam concionem habuit de ſanctitate Sacerdotibus neceſſaria, & ſtudio pro ipſa aſſequenda impendendo, ſicque inceptam præcedenti die tractationem abſoluit, vt & doctrinæ, & ſanctitatis neceſsitatem Clerus perſpiceret, eaſque, dante Domino, aſſequi ſatageret.

Inſtitit ſubinde D. Promotor pro decretorum publicatione, quæ Dominationi ſuæ Illuſtriſs. pro diſciplinæ Eccleſiaſticæ reparatione, conſeruatione, & incremento viderentur conuenientia, & opportuna; Ideoq; de mandato, &c. D. Can. Secretarius legit, & euulgauit elata voce omnia decreta huius Synodi per me Notarium, & Cancellarium eidem tradita, & annexa huic inſtrumento, quorum tenore audito à toto Clero, nullus quidquam oppoſuit, &

D. Pro-

D. Promotore instante, & eodem Illustrissimo mandante per D. Can. Secretarium impositum mihi fuit omnia gesta, actitata, & Decreta in Actis recipere, & ad perpetuam futuram memoriam, vnum, vel plura conficere instrumenta, & documenta, prout ego publicè recepi, & legalem Actorum extensionem, & præsentis publici instrumenti editionem promisi, reseruato authographo in archiuio, & Cancellaria Episcopali.

Post quę D. Promotor, explicata rerum agendarum conuenienti consumatione, institit pro Synodi dimissione, pro vt mandato, &c. statim D. Can. Secretarius legit decretum, vt in Actis, absolutionis Synodi, benedicente Domino, completæ, & facultatis concessæ omnibus congregatis ad Ecclesias proprias diuertendi, & inchoato per Dominationem suam Illustriss. in ipso loco sessionali, versa facie ad aram maximam, Hymno *Te Deum laudamus*, prosequente organo, & Clero alternatim vsque ad finem, eadem Dominatio sua Illustriss. benedictionem solemnem Episcopalem largita est, & Reu. D. Ioannes Baptista Guarinus Cęremoniarum Magister Indulgentiam Episcopalem in forma Ecclesiæ consueta publicauit, & Canonico Diacono intonante *Recedamus in pace*, Clerus vniuersus respondit, *In nomine Christi Amen*. Et depositis paramentis Episcopalibus pręcedente toto Clero, & Capitulo Illustrissimus, & Reuerendiss. D. Episc. ad Palatium suum rediit.

Prædicta autem omnia, & singula acta fuere in Cathedrali Ecclesia Cremæ, diebus, & anno suprascriptis, præsentibus pro testibus R.R. D.D. Francisco Bonasco, Thoma Piantanida, & Andrea Rodeschino Sacerdotibus notis, & idoneis ad prædicta, & singula omnia in vnaquaq; sessione, ac tota Synodo specialiter adhibitis, vocatis, & rogatis.

Ego Tiburtius Cananeus publ. Cremę Not. Coll. ac Cancellarius Episcop. ac huius Diœcesanæ Synodi Not. de præmissis omnibus, & singulis rogatus præsens publicum tradidi documentum, & in publicam formam edidi, & subscripsi.

MAR-

MARCVS ANTONIVS ZOLLIVS

Dei, & Apost. Sedis Gratia Episc. Cremen.

Dilecto nobis in Christo Vniuerso Ciuitatis, & Diœcesis Clero salutem, & Episcopalem Benedictionem.

EX quo humilitatem Nostram in Episcopali hac specula salutis humanæ assertor, destinante eius Sanctiss. Vicario, collocauit, nihil intensiùs optauimus, quàm ex habitis visitationibus tum locorum, tum Personarum Nostræ directioni commissarum viam aperire Synodali Conuentui, quo iuxta sacrarum Constitutionum, Conciliorum generalium, & præcipuè Tridentini vota, & mandata conuenientes in vnum consideremus vias nostras, & conuertamus pedes nostros, & praua in directa, & aspera in vias planas. Vos, dilectissimi, elegit, qui segregatus à peccatoribus, & excelsior Cęlis factus, operis sui Vicarios vsq; ad vndecimam horam mittit Operarios in Vineam, ibiq; voluit lucere lucem nostram coram hominibus, vt videant opera nostra bona, & glorificent Patrem. Vestrum est Orationibus, & obsecrationibus instare nocte, ac die, vt meditata Diœcesana sessione ardor Spiritus non tepescat, & corda nostra subleuentur, vt, quæ agenda sunt, videant, & ad implenda, quæ viderint, conualescant.

Ritui igitur laudabili Prædecessorum nostrorum hærentes, omnibus, & singulis Dignitatibus, Canonicis, Præbendarijs, Parochis, siue Titulatis, siue Mercenarijs quarumcunq; Parochialium etiam Regularium, neonon omnibus quolibet Ecclesiastico titulo Beneficiatis, & etiam simplicibus Sacerdotibus intimamus nostram futuram Diœcesanam

nam

nam Synodum in Cathedrali Ecclesia die decima septimâ mensis Maii proximi, quæ erit feria II. subsequens Dominicam quartam post Pascha summo mane aperiendam, & duabus vel tribus, ad arbitrium nostrum sessionibus absoluendam, ad quam omnes, & singuli prędicti personaliter accedere in habitu talari, clericali bireto, mundo superpelliceo, ac decenti tonsurâ; Dignitates vero, & Canonici, ac Præbendarii cum eorum Ecclesiasticis insignibus, teneantur, relicto à Parochis vnico Sacerdote simplici, sed idoneo, pro necessaria Sacramentorum administratione in qualibet Parochiali, durante Synodo; aliter contra absentes, & contumaces ad censuras, & pęnas iuxta Sacros Canones deueniemus.

Vt autem dirigantur viæ nostræ in beneplacito Domini, & affulgeat lux ex alto, præcipimus omnibus Parochialium Rectoribus, quatenus in tribus proximis diebus Dominicis ante prædictam diem decimam septimam Maii inter Missarum solemnia denuntient populo Synodi aperitionem, & singulos excitent ad multiplicanda pietatis opera, Orationum, Eleemosynarum, & Sacramentorum frequentiam, ad impetrandam eam opem, qua indigemus ad mores emendandos, Ecclesiasticæ disciplinæ neruum roborandum, sanctas leges incuria, vel tempore antiquatas restituendas, & tandem ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Dat. in Episc. Nostro Palatio hac die 8. Martii 1688.

MARCVS ANTONIVS EPISC. CREMEN.

Tiburtius Cauaneus Canc. Episc.

1688. Die 9. Martij. Retulit Ioannes Bellonus publ. Episcopalis Curiæ Cremæ Nuntius, &c. hoc mane de mandato, &c. affixisse, & affixas reliquisse similes copias præsentis edicti tum valuis Cathedralis, tum Episcopalis Palatij huius Ciuitatis, & ita, &c.

MAR-

MARCVS ANTONIVS ZOLLIVS
Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Gratia Episcopus Cremensis.

VNiuersis, & singulis personis Ecclesiasticis, & præsertìm Dignitatibus, Canonicis, Præbendarijs, Parochis siuè Titulatis, siuè Mercenarijs quarumcunq; Parochialium etiam Regularium, nec non omnibus quolibet Ecclesiastico titulo beneficiatis, & etiam simplicibus Sacerdotibus huius Ciuitatis, & Diœcesis notum facimus, quatenus, non valentes die 17. Maij currentis præfinita in nostro Edicto sub die 8. Martij currentis anni emanato, alijs detenti curis ad eam celebrandam accedere, eiusdem inchoationem, iustis de causis animum nostrum mouentibus, prorogamus ad diem 30. Augusti proximè futuri, nihil de eis, quæ in præfato edicto expressimus, immutantes. In quor. &c.

Cremę ex Episc. Palat. nostro hac die 15. Maij 1688.

MARCVS ANTONIVS EPISC. CREMEN.

Tiburtius Cauaneus Canc. Episc.

Dicta die. Retulit Sebastianus Cerrus publicus Nuntius, Hodie de mandato, &c. affixisse & affixas reliquisse similes copias alteram valuis Cathedralis Cremæ, alteram autem Palatij Episcopalis.

MARCVS ANTONIVS ZOLLIVS
Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Gratia
Episcopus Cremensis.

CElebrationem Synodi per Nos ordinatam in Edicto nostro locis solitis affixo die octauo Martij effluxi, & prorogatam alio Edicto nostro ad diem trigesimam Augusti cadentis, denuo alijs detenti curis, & iustis de causis animum nostrum mouentibus, prorogamus ad diem nonam Septembris venturi. Vobis propterea omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, & præsertim Dignitatibus, Canonicis, Præbendarijs, Parochis siuè Titulatis, siuè Mercenarijs quarumcunquè Parochialium etiam Regularium, nec non omnibus quolibet Ecclesiastico titulo Beneficiatis, ac etiam simplicibus Sacerdotibus huius Ciuitatis, & Diœcesis notam facimus prorogationem celebrationis huiusmodi Synodi ad diem eamdem nonam Septembris venturi inchoandę, nihil de ijs, quæ in præfato Edicto nostro 8. Martij elapsi expressimus, immutantes. In quorum, &c.

Cremæ ex Episc. Palatio nost. hac die 23. Aug. 1688.

§ MARCVS ANTONIVS EPISC. CREMEN.

Tiburtius Cauaneus Cancell. Episc.

Die dicta 23. Augusti. Retulit Philippus Cancetarius Episcopalis Curiæ Cremæ commilito, hodie de mandato, &c. affixisse, & affixas reliquisse similes copias, alteram valuis Ecclesiæ Cathedralis, alteram autem ad valuas Palatij Episcopalis.

D E.

DECRETA.

De Professione Fidei.

Cap. I.



VM in hac, quam Deo benè iuuante coegimus Synodum, eò tota nostri consilii ratio spectet, vt stabilem spiritualis ædificii molem vel statuamus, vel potiùs olim statutam, & aliqua ex parte hominum obliuione, temporisue iniuriâ labefactatam reparemus, iure ac meritò nostrarum constitutionum exordium à Fidei professione duximus sumendum; Ipsa enim vna est æternæ fundamentum salutis, & radix fęcunda, ex qua cæterarum egerminant nè dùm semina, sed etiam incrementa virtutum. Corruat enim necesse est domus, si fundamenta non habeat: emori virtutes contingit, si viuificos à radice fructus haustu salutari non attrahant. Ideircò vestigiis Concil. Trid., aliisque summorum Pontificum constitutionibus omninò inhęrentes præcipimus, vt Fidei professionem emittant.

Omnes, & singuli Clerici obtinentes Ecclesiastica beneficia, quibus est animarum cura adnexa, Præpositi, Archipresbyteri, Priores, Rectores, seù quouis alio nomine nuncupentur saltem infrà duos menses à die adeptæ Possessionis; alioquin meminerint absq; vlla hominis declaratione fructus suos non facere, nec illis pacificam possessionem suffragari. Promoti verò ad Canonicatus, aut Dignitates Ecclesiæ Cathedralis idem præstare teneantur nedùm coràm Nobis, aut Vic. nostro, sed etiam coràm Capitulo.

Eiusdem Fidei professionem emittant in manibus nostris, vel Vicarij nostri Generalis ludi magistri etiamsi, vel prima grammatices rudimenta pueris enucleent, & etiam si musicam doceant solas puellas.

De Doctrina Christiana.

Cap. II.

PAruulos, quos Spiritu Sancto fœta mater ab vtero edidit Christo filios Ecclesia, lacte doctrinę nutriri opus esse nemo non videt, vt Fidei rudimentis imbuti pietati simùl, ac religioni adolescant, & euntes de virtute in virtutem, tandèm quæ erant paruuli, euacuare satagant. Imitati itaque Pastores animarum Diuum Paulum, qui se fidelibus suis lac dedisse fatetur, singulis diebus Dominicis, & festis de præcepto statìm à prandio, hora Vesperarum præuentà, vel de manè post Missarum solemnia (si id eis videbitur expedire) dato peculiari Campanæ signo, & ruri (in Vrbe enim iàm de more est) per vias Tintinnabulo etiam pulsato pueros, ac puellas ad Ecclesias conuocent in Doctrina Christiana imbuendos, imo &, si opus fuerit, ostiatìm, & singulariter præcipuè refugientes euocari studeant; eosque opportunè, ac importunè in omni tamen patientia, & Doctrina per horam ad minus in Dei timore, ac reuerentia, in debito erga Parentes obsequio, in rebus Fidei scitu præsertim necessarijs erudiant. Si quis verò Parochorum tàm arctæ obligationis immemor, statutis diebus Christianam Doctrinam edocere nullo legitimo impedimento detentus neglexerit, mulctetur pro prima vice pęna pecuniaria vnius Scuti Veneti, quæ deindè applicabitur ad coemenda præmia in Scholis Doctrinæ Christianæ pueris, siuè puellis benè discentibus elargienda. Si uerò negligentia fuerit maior, maiori quoque pęna in eumdem animaduertetur.

Vt

Vt verò ardens Parochorum desiderium in re tanta promouenda nulla ex parte retardetur: Clericis omnibus enixè præcipimus, vt ijsdem præsto sint, certò scientes ad altiores ordines se non esse promouendos, nisi Parochi attestantis de sedula in huiusmodi exercitatione opera præstita Fidem exhibeant iuratam. Sacerdotes pariter quantum in Christo possumus hortamur, vt in re tàm salutari Parochos adiuuare non dedignentur. Ignorare enim eos turpe esset, munus docendi populos se tunc suscepisse, cum sacris Diaconatus, & Præsbyteratus ordinibus insigniti fuere, vt videre est in Concil. Trident. *sess. 23. cap. 14. de reform.*

Atque vt tantum negotium quacunque ratione promoueatur, non desinant Parochi sæpiùs admonere Parentes, Patrinos, & reliquos, quibus puerorum cura commissa est, vt eos Doctrinæ Christianæ institutis informari quàm diligentissimè curent, atque ea de re ad Ecclesias tempore opportuno mittant; nec non consimilem obligationem Dominorum erga famulos acriùs insinuent: quod idem à Confessariis tàm Sæcularibus, quàm Regularibus occasione Sacramentalis Confessionis sedulò præstetur; eosque pœnitentes, de quorum ignorantia circa res Fidei probabiliter dubitant, singulariter interrogent, nùm sciant Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, Præcepta Dei, & Ecclesiæ, & primaria Sanctissimæ Fidei mysteria? Quòd si (vtinam non cadat) reperint prædicta ignorare, grauiùs increpent, leniter tamen monendo, vt Doctrinam Christianam, in quibus Ecclesiis habetur, frequentent, quo processu temporis præcipua nostræ Fidei capita, vel saltèm eorum substantiam mente retineant, &, si opus fuerit, id loco Pœnitentiæ illis imponatur. Si verò in sequentibus confessionibus illa non edidicisse propria culpa cognouerint, vel aliquam ad id negotij diligentiam non adhibuisse, quia iam adulta

ma-

maturos ætate, vel etiam senio confectos eos pudeat huiusmodi onus subire, ad Sacramentalem Confessionem non admittant, vel potiùs absolutionem iis differant, donec certo præfinito tempore aliquid de rebus Fidei, didicisse compererint.

Meminerint insuper Parochi eos, qui, vt suprà recensuimus, essentialia Fidei Catholicæ capita ignorant, nō admittere, neq; ad officium Patrini in Baptismi, seu Confirmationis Sacramento, nec ad Matrimonium contrahendum.

Excitari autem à Parochis animas sibi concreditas ad huiusmodi opus alacriùs peragendum volumus, ter saltem in anno, singulis quaternis mensibus elapsis, indulgentiarum, quæ à Summis Pontificibus eiusdem Doctrinæ Christianæ sodalitati fuerunt concessæ, seriem promulgando.

Admonemus pariter ludi literarum Magistros, vt discipulis suis, quos bonis artibus instituunt, aliquid semper de rebus Fidei enucleare satagant, vt Dei timorem vna cum literis percipiant.

De Prædicatione Verbi Dei.
Cap. III.

NON in solo pane hominem viuere, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, missa è Cęlo Sapientia Patris testatur; nulla igitur maior adhibenda est cura ab iis, quos Christus Dominus Doctores, & veluti æternitatis Satores in Ecclesia constituit, nempè Parochis, quàm vt Populos sibi commissos verbo Dei pascant, atque erudiant, nè grandi suo malo eueniat, vt paruuli petant panem, & non sit, qui eis frangat. Idcircò salubre Concil. Trid. præceptum adimplentes singulis diebus Dominicis, & Festis inter Missarum solemnia aliquid

ex prælecti Euangelii verbis depromant, quod ouibus suis pro sua, & eorum capacitate explicent, docentes vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas eos sectari oporteat, cum breuitate, ac facilitate sermonis, & vernacula etiam, quo ad fieri poterit, lingua; eorumque auribus turpitudinem peccati, horrendum Dei iudicium, Inferniq; pęnas sæpiùs inculcent. Edoceant quomodò ab illis Sacramentalis confessio instituenda sit: quod examen: qui dolor: quænam propositi ratio habenda, occasionesq; peccandi proximæ quomodò pęnitùs euellendæ sint, vt salutares Sacramenti fructus consequantur. Explicent insuper aliquid, quemadmodum Concil. Trid. pręcipit, de almo Missę sacrificio, relictis subtilioribus quæstionibus, ad quarum cognitionem rudes animi nequeunt assurgere.

Et quoniam nemo nisi mittatur, prędicationis onus subire debet, districtè iubemus Parochis, ne quempiam Sacerdotem siuè Sęcularem, siuè Regularem in suis Ecclesiis concionari permittant, sine nostra, aut Vicarii nostri Generalis licentia in scriptis exhibenda.

De Festorum obseruantia, Ecclesiarumq; reuerentia, & cultu.

Cap. IV.

Quoniam, teste Apostolo, corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: Deus ille, qui intimis hominum mentibus tàm verus, quàm præsens per fidem inhabitat, exteriori quoque, ac publico cultu adorandus est, quapropter festi quidam instituti sunt dies, quos pietati, ac religioni dicatos, remotis humanarum rerum curis, in vnius Dei omnipotentis gloriam peragi debere ius naturale, ac diuinum conclamant. Ijs etenim diebus nos aùt memoriam mysteriorum nostræ Redemptionis,

aut

aut victoriam illorum, qui triumphato mundo in cęlis cum Christo regnant, recolentes diuinæ bonitati, ac potentiæ gratias, ac laudes, sanctisq; meritum honorem solemniter, & piè tribuimus. Nè igitur aliqui velùt publici religionis violatores tempus cęlestium contemplationi aptisimum, commessationibus, ludis, aut aliis seruilibus operibus terant: hæc Parochi sedulò fideles suos moneant videlicet.

Vt officinæ quorumcunque mercatorum, atq; artificum tempore Missæ solemnis, & Vesperarum ex toto claudantur: reliquo autem die illas dumtaxat, in quibus aliquid ad victum diurnum necessarium vendendum est, apertas, (non tamèn, nisi ostiolo recluso) remanere permittimus.

Et quia auaritia, quæ idolorum est seruitus, quàm maximè ad festa violanda inducit, fidelium auribus sępiùs ingeminent, quàm graue committatur scelus ab iis, qui nullo Dei, legumque metu perstricti dies sanctificandos violare non verentur cupiditate lucri; neglecto, quod vnicè curandum est, suarum lucro in æternum mansuro animarum.

Dum Missa celebratur, aut dum Officia diuina, sacra concio, Doctrina Christiana, vel quæcunque alia Ecclesiastica functio peragitur, nulli in Ecclesia, vel propè, strepitus, clamores, obambulationes, aut importunæ confabulationes permittantur; cantilenæ, instrumentorum concentus, circulatorum ineptię, lususuè prorsus eliminentur.

Detestabilis quædam in hac nostra Diœcesi consuetudo irrepsit, vt diebus Dominicis, & Festis, quibus præsertim dies Dedicationis, aut Titulus Ecclesiæ agitur, puellas nuptui dandas è domo ad Ecclesiam progredientes associent Amasij, longa iuuenum stipante caterua, plectrisque modulantibus, easq; simùlac egressas è templo consimili Diaboli pompa domum reducant; quo fit, vt inter procos iurgia, & rixæ nascantur; ad arma plerumq; discurratur, & cędes. Quà propter ad prouidam Parochi solertiam spectabit hu-
iusmodi

iusmodi corruptelas de medio tollere à Nobis sub pena interdicti latæ sententiæ Nobis reseruati prohibitas.

Quo pariter die agitur in nostra Diœcesi Titulus Parochialis Ecclesiæ per Nos Decretis prædecessorum nostrorum inhęrentes, choreas, & tripudiorum saltationes prohibitas esse Parochi denuncient; alijs verò diebus Festis, qui ex Ecclesiæ præcepto, vel Populi voto, vel consuetudine coluntur choreas siuè publicas, siuè priuatas sępiùs redarguant Parochi, enumerando mala ab illis enascentia; quorum vberrimam materiam suppeditabit aureus ille liber P. Pauli Segneri inscriptus *il Christiano istruito nella sua legge*, qui continuo esset Parochorum manibus terendus, cum sit rerum, atq; argumentorum ad salutem animarum spectantium locupletissimus.

Moneant quoquè Parochi Diœcesani plebes sibi commissas, vt dictis diebus, quibus vt supra diximus agitur Titulus, &c. nimium ciborum apparatum non solicitent, neq; vino se ingurgitent: Regnum quippe Dei, vt testatur Apostolus, non esca est, neq; potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Et valdè absurdum est (sententia D. Hieronymi) saturitate velle honorare Martyrem, quem scimus Deo placuisse ieiunijs; quin potiùs illorum gesta curent imitari in terris, quos Patronos mereantur habere in Cęlis.

Festi itaque dies, vt ritè obseruentur à fidelibus, integro Missæ sacrificio in Parochiali quo ad fieri poterit Ecclesia opportuno tempore à Parochis celebrandæ deuota, ac reuerenti attentione intersint; vtque liberi, & famuli id faciant, curent, nec non vt Dei verbum ibidem audiant, ac præcipuè Doctrinam Christianam frequentando ediscant. Neque illud ignorent, quod si quis, & præsertim fęminæ iuniores, quæ vt se comptiùs excolant, aut exornent dictis diebus dato vltimo signo Missæ differunt Ecclesiam petere, cum id ex negligentia fiat, si finita Epistola, cęptoque iam

Euangelio, ad eamdem Ecclesiam accesserint, se grauis pęnæ reas facere.

Nullum opus seruile Festis diebus in Ciuitate, nisi Nos, aut Vicarius noster consulatur, publicè liceat exerceri: tempore autem recollectionis fructuum, messis, vendemiarum, aut quandocunque simile opus fieri necessitas exigit, in Diœcesi consulantur Parochi, qui pro prudentia, & conscientia sua, quam in hoc grauiter oneramus, gratis licentiam petentibus concedant: caueant tamen nè tàm facilè, nisi ex vrgentibus causis huiusmodi licentiam relaxent, cùm nimia à rebus sacris digressio sic fiat, & à plerisque obtentu necessitatis lucri negotium peragatur. Curent quoque Parochi pro viribus, ne Populi tempore Diuinorum Officiorum ad caupones diuertant, aut ad alia loca taxillis, & aleis operam daturi, vel colludentes inspecturi; hac enim ratione non tantùm suæ, sed & aliorum animæ damnum, & perniciem afferunt exitialem.

Nemo in Ecclesiam, Domum scilicet pacifici Salomonis hastilia, sclopos, aut alia id genus arma deferat: nullus, dum diuina celebrantur, in ea deambulet; nulli risus, aut strepitus excitentur; mutuos nemo sermones cum alijs misceat, non circulos habeat, non profanum negotium agat, nec à Sanctissimo Sacramento auersus sedeat, vel irreuerenter stet: Præsidet enim templis Diuinum Numen, & quamuis domus suæ, quam decet sanctitudo, contemptores longanimi dissimulatione diù patiatur, tarditatem tamen supplicij grauiori animaduersione compensat.

Non grana, non linum, aut quiduis aliud eò congerantur, sed quodcunque ex largientium pietate ibi fuerit collectum, intrà eamdem diem aliò asportetur, nec propè eam permittantur manere vendentes dulciaria, fructus, aut quid huiusmodi; nullæque subhastationes, etiam si fuerint de rebus ex eleemosinis collectis, fiant.

Ipsæ Ecclesiarum fores sub occasum Solis omninò clau-

dan-

dantur, & sub auroram aperiantur: omnes verò fenestræ vitreis specularibus, aut saltèm cerata tela ità obserentur, vt omnis pluuiæ, & ventis aditus obstruatur. Octauo quoq; die pauimentum verratur, & aranearum telæ detrahantur, neque tempore veris hirundines permittantur inibi nidos ponere. Sacra supellex niteat.

De Sacramentis in genere.

Cap. V.

SAnctissima nouæ legis Sacramenta diuini scilicet illius Samaritani medelas, quibus saucij hominis vulnera à latronibus inflicta certò curantur, eumdemque semiuiuum integræ restituunt sanitati, polluto ore conficere, fœdisque manibus attrectari grande nefas: Illa igitur administraturi secum tacitè videant, nùm aliqua læthalis culpæ labes eorum animis turpiter insideat, quod si (vtinam nunquam contingat) alicuius graui sceleris reatu conscientiam repererint maculatam, eam Sacramentali Confessione præmissa, vel saltèm contritione, si facultas Confessarij deest, & ministrandi Sacramenti necessitas vrgeat, quanto citiùs expiare studeant, ne dùm cæteris prodesse laborant, sibi ipsi noceant, & ea instrumenta, per quæ gratia Dei aut incipit, aut cepta augetur, aut amissa reparatur, in administrantis exitium transeant sempiternum.

Claues, quibus Sacramenta, & Sacramentis inseruientia obserantur solicitè Parochi ipsi custodiant, ea præter extremam Vnctionem extra Ecclesiam, nisi grauis necessitas aliud postulet, nunquam conferant. Ritus tùm intrinsecos, tùm extrinsecos in illis conficiendis, aut administrandis ab Ecclesia adhiberi solitos perpetuò retineant, eorumque vim, & efficientiam, salutaresque vsus cum sin-

gula quæq; Sacramenta administrari contigerit, vulgari, ac plano sermone, qui etiam à rudibus percipi possit, explanare non desinant. Cum domo euocantur quacunque diei, vel noctis hora ad illa administranda, præsto sint, hilarique vultu, ac prompto animo accedant, illudque fidelium auribus crebrò inculcent, vt ad Sacramenta suscipienda accedentes puritatem non modò, atque animæ nitorem afferant, sed exteriori etiam corporis habitu, ac gestu humilitatem, ac reuerentiam tantis rebus præseferant.

Hortentur pariter mulieres, vt modesto, humilique ornatu frequentent hæc diuina, & cęlestia munera, quæ clementissimus Dominus ad communem omnium salutem pro sua erga genus humanum ineffabili charitate reliquit.

De Baptismo.

Cap. VI.

VItio protoplasti hominis omnes; nascimur filij iræ; verùm singulari, ac præcelso Christi seruatoris nostri beneficio, qui viuificæ suæ carnis tactu Iordanis aquas in salutarem Baptismi vsum consecrauit, renascimur per lauacrum regenerationis in vitæ melioris vsuram participes gratiæ filii Dei, ipsiusque hæredes, cohæredes autem Christi. Cum igitur nemini ad cęlestia regna aditus pateat, cuius originariam labem hæc salutaris vnda non absterserit, infantibus, quos propter ætatis imbecillitatem innumera propè pericula manent, decernimus, vt vltra octauum diem eorum Baptismus non differatur sub excommunicationis maioris pęna ab iis incurrenda, qui huic nostræ voluntatis decreto parere vel neglexerint, vel contempserint.

Qui imminenti vitæ periculo infans fuit domi aqua salutari

tari ablutus sub debita verborum forma, de qua plenè Parocho constet, si postea superuiuens deferatur ad Ecclesiam noua non iterùm fiat sacri fontis ablutio sub adiecta conditione, siuè mente concepta, siuè verbis expressa: *Si non est baptizatus &c.* Sed solùm reliquæ cæremoniæ adhibeantur: si autem dubium foret, an infans ritè baptizatus domi fuerit, tunc eam sub dicta conditione baptizare licebit, exprimendo totam facti seriem in libro Baptismorum, ad hoc, vt distinguatur cognatio spiritualis à Cathecismo.

Et quoniam qui Baptismum in casu necessitatis administrant, plerumque sunt Fœminæ, quæ puerperis obstetricantur, & vulgato nomine vocantur Commatres, Parochi partes erunt has sedulo annis singulis examinare, an Baptismi formam, aliaque necessaria ad baptizandum benè nouerint, & memoria retineant, ne in re tanti momenti contingat errare.

Ad susceptoris vulgo Patrini munus non admittantur, quos constat eo anno, neque Confessionis, neque Eucharistiæ Sacramenta in Paschate sumpsisse, quiq; Symbolum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Decalogum, & præcipuè Fidei mysteria mente non tenent.

Regulares quoscunq;, ac Ecclesiasticas personas; etiam si sint in minoribus tantùm constituti, nisi habita à Nobis, vel à Vicario nostro in scriptis licentia: Pueros pariter, qui nundùm annum decimum quartum, & Puellas, quæ annum duodecimum non expleuerint, ab huiusmodi munere prorsùs excludimus.



De

De Sacramento Confirmationis.

Cap. VII.

APostolos Diuina quamuis esca saginatos, & crebris sermonibus ad tolerandas pro Dei gloria passiones erectos, non ideò beneficentissimus Dominus passus est in publicum prodire diuini nominis assertores, & euangelicæ veritatis tubas, sed iussit eos in Ciuitate manere, donec induerentur virtute ex alto; quo scilicet facto dilectam sponsam suam Ecclesiam edocuit fideles suos, qui renati iam sunt ex aqua, & Spiritu Sancto, oportere Sacramento Confirmationis muniri, vt Fides in Baptismate infusa maximo gratiæ incremento ad confessionem Diuini nominis acriùs incalescat. Vt igitur qua par est diligentia, debitisq; ritibus Sacramentum hoc suscipiatur, vbi primùm Parochi ex nostris circularibus litteris quando, & vbi hoc Sacramentum à Nobis administrandum erit, acceperint, plebes sibi subiectas instruant de natura, vi, ac excellentia, fructibusq; huius Sacramenti, vt omnes intelligant non modò illud negligendum non esse, aut nimis differendum, quinimmò ardentissimis votis expetendum, cum plenè christianus tunc dici queat is, in quem ex Episcopali confirmatione diuini se infuderit Spiritus plenitudo; & quos Parochi vel de tanti Sacramenti natura protsùs planè ignaros, vel ad vberiores diuinæ gratiæ fructus percipiendos penitùs imparatos repererint, ad huiusmodi Sacramentum non admittant.

Quemadmodum Pueri octenis minores ab hoc Sacramento suscipiendo arcendi erunt, sic reliqui prouectioris ætatis, qui hoc volunt Sacramento roborari, admonendi erunt, vt Sacramentalem Confessionem præmittant, nè diuinæ gratiæ per illud conferendæ impedimentum obtrudant.

Pa-

Patrini sint tantùm vnus, vel vna, mas scilicet marem, fœmina fœminam suscipientes, iique iam sacro Confirmationis charactere sint insigniti, neque citrà vrgentem necessitatem adhibeantur, qui eiusdem, quem in confirmatione suscipiunt, fuerint in Baptismo sponsores. Neque plures quàm duos eadem die, nisi Episcopi dispensatio accedat, suscipere præsumant.

Confirmatorum nomina, & agnomina, eorumque Parentum, nec non Compatrum, & Commatrum, diemq; quo per Nos hoc Sacramentum dispensatum fuerit, in vnum librum scripta redigantur, vt expeditiùs spiritualis cognatio detegatur.

De Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ.

Cap. VIII.

Misertus super turbam diuinus amor panibus cœlesti benedictione ad miraculum auctis eam pleniùs satiauit, ne ieiuna deficeret in via; hoc quod aliquando ipse in terris degens effecisse legitur, per legitimos Ecclesiæ ministros, si non oculis corporis, at certè acie mentis Fidei radijs illustrata quotidiè fieri videmus. Augustissimum enim Eucharistiæ Sacramentum, quod ipse diuinæ largitatis auctor discessurus ex hoc mundo ad Patrem in vltima Cœna Discipulis ante Passionem distribuit, quotidie per os Sacerdotum instaurare non desinit in dulce epulum animarum, in humanæ robur infirmitatis, in miseræ huius peregrinationis Spirituale Viaticum, eoq; nos tamquam membra arctissimo Fidei, Spei, & Charitatis nexu sibi voluit copulari. Vt igitur, quæ ad tanti Sacramenti cultum, & reuerentiam necessaria sunt, obseruentur, hæc quæ sequuntur ingi studio curanda erunt.

Antè illud lampas assiduò accensa dependeat oleo ex baccis oliuarum expresso enutrita, quæ vbi Parochi, vel alterius, cui id curæ incumbit, incuria, malitiaue extincta aliquandò comperiatur, ex Visitatione Apostolica teneatur delinquens soluere in singulas vices duas libras vnam fraternitati Sanctissimi Sacramenti alteram accusatori applicandas.

Nunquam ad populi adorationem in Ecclesijs siuè Sæcularibus, siuè Regularibus exponatur, nisi à Nobis, vel à Vicario nostro impetrata licentia. Licebit tamen ad vim imbrium coercendam, & ad grandines, tempestatésque propulsandas in Ecclesijs Parochialibus, & ad Orationem pro grauiter ægrotantibus pandere tabernaculi ostiolum, quo Pyxis Sacramentum continens à confluente in Ecclesiam populo videatur, & adoretur.

Tres saltèm particulæ consecratæ semper asseruentur, & hyeme quintodecimo quoque die, æstiuo verò tempore singulis quibusque octo diebus renouentur. Tabernaculi ostiolum argentea claui, quod in plerisq; locis factum in nostra Visitatione vidimus, vel saltèm deaurata, & funiculo oloserico appensa claudatur.

Quoties ad ægros eam deferri vsuu venerit, reuersus ad Ecclesiam Parochus, antequam Sacramento populo benedicat, indulgentias à Summis Pontificibus concessas eidem populo genuflexo euulget, vt ex spirituali lucro ad associandam Eucharistiam studiosiùs exardescat.

Admoneantur fęminæ, vt vestibus ad modestiam compositis, cultuque corporis rei, quam aggrediuntur, congruo ad sacram Synaxim accedant.

Nullus in Paschate extrà propriam Parochiam sine nostra, aut proprij Parochi facultate Eucharistiam sumat.

Omnes Canonici, Presbyteri, & Clerici in quibuscunq; Ecclesijs existentes feria quinta in Cęna Domini in Missa solemni communicent, exceptis ijs, qui sacrum eo die facere tenentur.

Euo-

Euoluto à die Paschatis mense, deferant ad Nos Parochi eos, qui præcepto annuæ Communionis satisfacere neglexerunt; vt opportunis, pro vt in Domino expedire videbitur remedijs eorum negligentiæ occurramus.

Pueros, ac Puellas cum ad id ætatis peruenire Parochi videbunt, vt diudicantes Corpus Domini piam, ac religiosam animi propensionem ad illud sumendum afferre posse videantur, sedulò examinatos, & in rebus Fidei benè imbutos non die ipsa Paschatis, sed aliqua alia infra octauam Paschatis statuta ad Communionem admittant, sicut nouellas oliuarum in circuitu mensæ Domini.

Ægrotis etiam in Paschate communio afferatur, & administretur, quorum incolumitatis ad viginti circum circa dies recuperandæ probabilis spes non affulgeat.

Cum ad orationem pro ægrotis Regulares in suis Ecclesijs exponunt Eucharistiam, id ne faciant ostensorio adhiberi consueto, quando solemni ritu exponitur, sed ex ciborio, seù Pyxide, quæ tamen ab ostio Tabernaculi non extrahatur.

Dum Eucharistia publico apparatu populis exponitur adoranda, nullus nisi superpelliceo mundo, aut saltem sacco indutus accedat siue ad accendenda lumina, siue purganda, siue aliquid huiusmodi opus peragendum.

De Sacrificio Missæ.

Cap. IX.

SVpremus rerum omnium parens, & auctor Deus, cui legalium differentiam hostiarum vnius placuit perfectione Sacrificij sancire, visibile, quemadmodum hominum natura exigebat, sacrificium nobis reliquit, quo non tantùm cultum, & laudes eidem debitas exhiberemus, gratias pro acceptis beneficiis ageremus, memoriam

sacratissimæ suæ recoleremus passionis, sed etiam immolatione eius munda, quæ nulla offerentium indignitate, aut malitia inquinatur, fideles omnes adhuc viuentes gratiam, & misericordiæ donum impetrando admissorum scelerum veniam obtinerent, & animæ Defunctorum in Domino nundum ad plenum expurgatæ expiarentur. Cum igitur tremenda hæc mysteria, omni ablegata sordidi quæstus labe, omnique procul amota negligentia, & irreuerentia, manibus sint ministrorum impollutis tractanda.

Volumus singulos Sacerdotes semel saltem in hebdomada peccata sua confiteri: & saltem diebus Dominicis, & Festis celebrare debere.

Sub pęna suspensionis ipso facto incurrendæ nullus Sacerdos in Vrbe ad celebrandum accedat, non indutus veste talari. Vestes autem talaribus breuiores, sub eadem pęna transuersiis, quas vocant, seu guarnacris, suppleri vetamus.

Extra Vrbem Celebrantibus permittimus vti veste infrà genua bene demissa, quæ medium crus attingat, quamque zona modestè pręcingat, nisi itineris causa, vel breuis moræ excuset: neque sit eius generis, quæ vulgo dicitur *marsina*, *vestina*, aut *giustacuore*. Parochi tamen in propriis Ecclesiis die Dominico, & Festis celebrantes, sicut & in cęteris functionibus Ecclesiasticis dictis diebus à se peragendis talaribus vestibus, vt supra, non alio vestium genere supplendis, sub eadem pęna semper vtantur, dempta communione ad infirmos deferenda. Idem quoque sub eadem pęna obseruari volumus à Capellanis Diœcesanis, quotiès celebrant in Ecclesia Parochiali, vel in ea, in qua onus celebrandi Missam dictis diebus Dominicis, & Festis susceperunt.

Iniungimus omnibus celebraturis Sacerdotibus, & maximè sacras vestes indutis, vt in sacrario silentium obseruent, neque deambulationibus, aut confabulationibus,

 alie-

alienisque à re sacra sermonibus operam dent; sed antè sacrum pias ad Deum preces effundant, aut diuina meditentur, totaq; sint mente defixi in mysterio mox à se peragendo: si quis verò ratione dignitatis annulum gestat, illum in Missæ sacrificio deponat.

Pateat in summo vertice celebrantis corona, pilique à superiori labro ità prædidantur, vt sumptionem Sacratissimi Sanguinis non impediant; & ad Altare progrediens, oculis in terram defixis, non concitatè, sed lentè, & grauiter incedat, nec priùs missam incipiat, quàm Clericus minister genua flexerit. Verba non cursim, aut detruncatè pronunciet, neque ad Introitum, & ad Kyrie ipse priùs alterum versiculum, siuè verbum inchoet, quàm minister respondens inchoatum absoluerit; caueatque vt quæ submissa voce pronuncianda sunt, elata non proferat, præsertìm si sint verba consecrationis: Quidquid verò elata voce pronunciandum est, clarè adeò, & distinctè pronunciet, vt vox audientium aures impleat, non tamen sit importuna, maximè si quis alius in viciniori altari concelebret.

Missæ celebratio, nè angustiùs tertia parte horæ contrahatur, nè nimium properando aliqua verborum, vel rituum mutilatio enascatur.

Missa peracta, Sacerdos in Sacrarium reuersus, exutisq; vestibus, nè statim abeat, sed orationi per congruens temporis spatium vacet, sacri mysterij veneranda commercia, quæ sumpsit, iugiter contemplando; alienum enim est à pietate, labia Sacerdotis tremendo adhuc sanguine Filij Dei rubentia sermonibus non sacris, vtinam etiam non ludicris, commisceri.

Quo tempore sacrum habetur, non permittantur mendicantes Ecclesiam circumire, neque præexcelso huic sacrificio, qui intersunt, ità propè Altare accedere, vt Sacerdotem perturbent, sed ab eo distent ad duos saltèm passus.

Mulieres moneantur, vt pueros suos domi custoditos relin-

linquant, quos ad Ecclesiam delatos, dùm Missæ sacrificium peragitur, eiulatibus, atq; clamoribus obstrepere norunt; acriùsque in eos Parochus succenseat, quibus cum locus adhùc in Ecclesia pateat, malunt præ foribus illius, aut etiam extrà fores manere sacrum audituri, vel mulieres egressuras attentiùs inibi inspecturi.

In quibus Parœtijs duæ, aut plures Missæ, siuè in vna, siuè in pluribus Ecclesijs diebus Dominicis, & Festis celebrantur, earum prima in ortu solis celebretur sub pęna vnius auri ab eo Sacerdote soluenda, qui huic decreto non paruerit. Parochialis verò Missa post duarum horarum spatium sequatur, vt populus possit esse expeditior ad audienda salutis monita ab ore Parochi. Si adhuc reliquæ supersint, celebrentur post Parochialem.

Si feriato die celebret Sacerdos, Missæ stipendium sit ad summam solidorum triginta monetæ Cremensis, si die Dominico, & Festis solidorum quadraginta; vbi tamen pinguior ex legantium pietate statuatur eleemosina, sciat Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, non sibi licere per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendij sibi retenta; est enim opinio damnata à Sacra Romana, & vniuersali Inquisitione.

Alienæ Diœcesis Sacerdos siuè Sæcularis, siuè Regularis, nisi planè cognitus, atque perspectus sit, non admittatur vltrà vnam vicem ad celebrationem Missæ, nisi literas testimoniales à suo Ordinario subscriptas, & sigillo munitas exhibeat; Si verò vltrà vnam vicem voluerit celebrare, facultatem à Nobis, seù Vicario Nostro recenter obtentam in scriptis exhibeat siuè Parocho, siuè illi Sacerdoti, cui Sacrarij cura incumbit.

Adsit in sacrario liber, in quo Missas à se celebratas notent Sacerdotes, indicando dies singulos, quibus celebrauerint, & pro quibus applicauerint.

Nullus Sacerdos in Ecclesijs Monialium celebret sine

Nostra

Nostra in scriptis habita licentia.

Hortamur Regulares, vt in suis Ecclesijs nulli Sacerdoti Sæculari non Diœcesano permittant sacrum facere, nisi ille antea Nostram licentiam literis commendatam, & nostra vel Vicarii nostri subscriptione munitam exhibuerint.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Cap. X.

INfirmitatis humanæ cœlestis medicus benè memor, & nostri figmenti ab adolescentia in malum proni exactissimus cognitor, hominis post Baptismum lapsi fœdatam imaginem primæuę volens restituere venustati, eam suo sanguine lauit, & ægro sceleribus cordi saluberrimam ex immensa sua misericordia adhibens medicinam, Sacramentum Pœnitentiæ instituit, cuius vi animæ vulnera curantur, & nostrorum nexibus absoluti peccatorum vindicamur in libertatem filiorum Dei, deponentes veterem hominem cum actibus suis, vt mortui peccato iustitiæ viuamus. Ne igitur quod in animarum salutem fęliciter institutum est, in earum perniciem cùm suscipientium, tùm administrantium ignorantia, aùt malitia conuertatur, hęc seruentur.

Parochi in suis Ecclesijs cuiusque Confessiones excipere possint, etiam si Parœtianus ipsorum non sit, in aliorum verò Ecclesijs nulli confitenti aurem præbeant, nisi data sibi facultate à Parochis illarum Ecclesiarum; Capellani verò, quibus facultas administrandi Sacramentum Pœnitentiæ in hac nostra Diœcesi à Nobis, vel Vicario nostro fuit delegata, eiusdem facultatis fines nè minimum quidem excedant.

In sola sede Confessionali conspicuo Ecclesiæ loco exposita mulierum Confessiones excipiat Parochus superpelli-

ceo mundo, & stola indutus, siuè Sęcularis ille sit, siuè Regularis, & hoc non ante ortum, aut post occasum Solis peragatur, easque ad crates dictæ sedis tantùm admittat, nec vnquam patiatur ad suos pedes abijci. Cùm verò ijs ægrotantibus Sacramentum Pęnitentiæ opus erit domi administrari, siuè diù, siuè noctu, easdem audiat aperto cubiculi ostio, vt conspici quidem, non tamen auscultari queat.

Quas comptiùs ornatas, nudatoque pectore vel brachijs ad intuentium offensionem Confessarij cognouerint, eas efficacibus verbis increpabunt, & graue salutis æternæ amittendę, in quo versantur periculum ob oculos ponant: quæ si semèl, atque iterùm admonitæ Confessarij dictis parere noluerint, illis, prout spiritus, & prudentia sugesserit, beneficium absolutionis aut differant, aut etiam omninò negent, attenta semper scandali qualitate, quæ ex huiusmodi ornatu poterit prouenire.

Et quia nonnunquam ad pedes Confessarij se abijciunt, qui restituendæ vel rei, vel famæ onere detinentur, Confessarii partes erunt, de sua obligatione pęnitentes eiusmodi admonere: quorum pollicitationibus, vel sibi ipsi, vel aliis pluries factis, & semper effectu carentibus haud facilè credat, & nisi tunc ex circumstantiis certa spes faciendæ ab eis restitutionis affulserit, absolutionem tamdiù differat, quamdiù restitutione re ipsa peracta, illata damna compensauerint, modò, dùm pęnitens confitetur, sit par soluendo, aut restituendo.

Cùm verò aliquando restitutiones incertorum pęnitentibus faciendæ incumbunt, eas nequaquam sibi, nec eius Ecclesiæ, vllatenus faciendas Confessarius iniungat, sed pęnitentium arbitrio omninò relinquat.

Pęnitentem prudenter reiectum ab alio, & præsertim à proprio Parocho cautè admodum audiat Confessarius, eaque vtatur diligentia, vt si possit ad Parochum remittat, sin minùs non absoluat.

Com-

Complicem, aut participantem secum in crimine carnali nullus Confessarius absoluat; quod si absoluere præsumpserit, à munere Confessarii ex nunc prout ex tunc suspendimus, & suspensum declaramus vsque ad nostræ beneplacitum voluntatis.

Nihil antiquius esse debet Confessariis, quam blandè, ac perhumaniter pęnitentes excipere: exceptos autem lenitati rigorem copulando, ità complectantur, vt scilicet nimia facilitas occasionem non præbeat deinceps delinquendi, neque nimius rigor à Sacramento deterreat Pęnitentiæ, quod non iræ & vindictæ, sed tribunal misericordiæ esse debet.

Seruent pariter Confessarii modum in pęnis iniungendis, non sine habita ratione admissorum criminum, qualitatis personæ, & incrementi doloris; ità vt re tota inspecta salutares, & congruas, & peccatorum redemptrices satisfactiones pęnitentibus imponant, lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præcipiendo humilitatem.

De Extrema Vnctione.

Cap. XI.

Licet dęmon miserę huius nostrę peregrinationis iter, quo ad Patriam pergimus, nunquam desinat oppugnare, nullo tamen tempore acrius insurgit, omnesq; versutiæ suæ neruos intendit vehementiùs quàm cum supremum vitæ diem appropinquare cognoscit. Quò circa misericors idemque Clementissimus Dominus opportuno nobis occurrit remedio, quo eius astus eludere, & æternæ salutis portum tuto appellere possimus, Sacramentum scilicet Extremæ Vnctionis instituens, ęgris solatium, debilibus robur, culparum deletio præteritarum, deq; diuina iustitia timen-

timentibus firmissima spes, atque præsidium.

Caueant igitur Parochi, nè ipsorum negligentia ægroti sine hoc Sacramento à viuis excedant, quinimmò pro pastorali erga suas oues affectu, infirmas sæpiùs inuisant, & ingrauescente vi morbi, cum cognouerint, eas periculosè decumbere, curent, vt ipsæmet Sacram Vnctionem vltrò deposcant, & sana adhuc mente, integrisque sensibus ad vberiores inde fructus ex Sacramento hauriendos tempestiuè suscipiant.

Quo tempore Extrema Vnctio perficitur, vt maiori qua decet reuerentia conferatur, vasculum non Laici cuiusquam, sed Sacerdotis, vel Clerici manu teneatur, neque vnquam in ædibus infirmorum, qui inuncti, vel inungendi sunt, relinquatur: neque domi suæ Parochus illud asseruet, nisi grauis vrgeat alicuius infirmitas, & procul sit domus Parochialis ab Ecclesia.

Cum æditus alio nomine Sacrista nostræ Cathedralis Sacra Olea dispensat, caueat, vt Sacerdotibus dumtaxat, siuè Clericis ordine sacro vel Diaconatus, siuè Subdiaconatus insignitis ea fidat.

Meminerint insuper Parochi hoc Sacramentum administraturi vberes fructus, qui indè proficiscuntur, ęgrotantibus aperire, vt salutari eius vi percepta, vehementiori studio in illud ferantur. Neque expectent illud conferre, cum æger est sensibus propè destitutus; multòque minùs illud tàm cito accelerent, dum æger periculo non graui vrgetur, vt ipsi deinceps molestiam euitent.



Dè

De Funeralibus, & Exequijs.

Cap. XII.

MOrtuorum cadauera, quæ in Domino quiescunt, religioso quidem, licet lugubri apparatu ad sepulcrum prosequi, omnique studio eis iusta persoluere mos in Ecclesia inualuit semper laudandus. Si enim vel Barbaris gentibus hunc humanitatis sensum natura indidit, vt mortuorum funera summo pietatis officio deducant, cum tamen carnis resurrectionem non sperent, quantò magis Christiana charitas animos debet excitare fidelium, qui futuram carnis resurrectionem constanter tenent, ad misericordiæ opera defunctis sedulò animabus impendenda, cum impensum eiusmodi officium sit etiam quodammodo eiusdem Fidei testimonium. Quæ ergo ad sepulturam, & funeralia pertinent, hoc ordine disponantur.

Statim ac aliquis è suis Parœcianis in fidelium communione decesserit, Parochus curet publicum dari campanæ signum, quo audito fideles pro anima Defuncti preces Deo effundant.

Cùm in omni officio pastorali obeundo, tùm præsertim in funeribus deducendis omnem quamuis leuissimam auaritiæ suspitionem fugere Parochos oportet. Itaq; cum cadauer alicuius Ecclesiasticę sepulturę tradendũ erit, ea sint cera contenti, quæ à consanguineis, vel hęredibus Defuncti exhibetur. Sciantque se grauiter puniendos, si funeralium occasione sordidi quæstus mercimonia, & cuiuscunq; exactiones ab ipsis fiant, vel aliud quidpiam petant, præter id, quod antiqua, pia, & probata cuiusque loci consuetudo inuexit. Ideò nunquam sub prætextu non solutæ etiam iustæ eleemosinæ, funeralia vlli denegare, aut differre sepulturam quisquam Parochorum audeat; quinim-

mò cum scriptum sit, *mortuo ne denèges gratiam*, pauperum, & miserabilium personarum cadauera rogatus, siuè non rogatùs Parochus proprijs sumptibus sepeliat, nisi ab aliqua pia sodalitate, vel ex collectis eleemosinis huiusmodi Christianæ pietatis officium consueuerit exerceri.

Cadauera in Parochorum potestatem de iure venire debere, nec alibi quàm in Parochiali Ecclesia sepelienda esse, Sacri Canones apertè declarant; nisi fortassis, vel iuri suo cedere Parochus velit, vel alibi esset proprium Defuncti sepulchrum, vel ex scriptis, aut duorum saltem attestationibus constaret, aliquem ante obitum alibi, quàm in propria Parochiali Ecclesia sibi tumulum elegisse; quæ cum ità sint, caueant quicumque Clerici, siuè Sæculares, siuè Regulares sub pęnis in Sacra Sanctione contentis, & alijs etiam grauioribus, ne quemquam inducant, vt voto, iuramento, aut fide interposita se obliget ad eligendam sepulturam in eorum Ecclesia, vel electam non immutandam; quod si contrafactum fuerit, & electio ipsa irrita erit, & eligens hoc pacto in ea Ecclesia sepeliri non poterit, sed ad eam erit deferendus, in qua, si sepulturam non elegisset, esset humandus.

Nullius cadauer tradatur sepulturæ, nisi elapsis duodecim saltèm horis ab illius obitu; si verò repentina quisnam fuerit morte præreptus, vel ex partus dolore fęmina decesserit, eorum corpora, nisi viginti quatuor horis exactis, nullatenus humo mandentur. Funus quoque nullum deducatur, neque ante ortum, neque post occasum Solis, nisi ex speciali nostra licentia.

Nobis item, vel Vicario Nostro inscijs, sub interdicti pęna, nullo prætextu etiam translationis in nouum aliquod monumentum, extrahantur cadauera iam semel perpetuæ sepulturæ tradita, neq; noua in vllis Ecclesijs sine nostra facultate extruantur sepulcra alicui familiæ concedenda, vel etiam ad vnius tantùm cadauer tumulandum excauentur,

nec

nec minùs alicui nouo vel veteri monumento aliquid inscribatur sine præuia Episcopalis curiæ reuisione, & approbatione.

Et quoniam extrà Vrbem in Diœcesi quidam inualuit mos, qui pietatis quidem speciem præsefert, re tamen ipsa à pietate est omninò alienus; immò fortassis, & superstitionem redolere videatur: videlicet, dum alicuius cadauer effertur domo, & consuetis psallentium Sacerdotum vocibus prò illius anima Deo occinitur, consanguineorum, ac præcipuè mulierum, quæ ex calamitosa ambitione suos ad lacrimas solent oculos erudire, clamoribus, ploratibus, totiusque corporis, ac membrorum omnium iactatione ità obstrepunt, vt inchoatam sacram functionem vel retardantes, vel perturbantes omnium ad se oculos prouocent; delatum verò ad Ecclesiam cadauer circa finem exequiarum circumeunt viri, si quò gradu consanguinitatis, aut affinitatis Defunctorum attingunt, ibique noui rursus excitantur clamores, inania miscentur verba, & supremum vale mortuo dicunt; signa, ritus ethnicorum redolentia. Huiusmodi morem de medio tollere studeant Parochi, atq; hortentur mulieres, vt hos inconditos clamores deinceps compescant, neque, cum humeris portitorum semel elatum est cadauer, manu feretrum retineant, neque pedem è ianua illius loci, vbi priùs Defunctus iacebat, efferant. Porrò viros Parochi moneant, vt vel domi se contineant, vel si etiam velint ad Ecclesiam Defunctum prosequi, nequaquam circumstent feretrum, sed alibi genuflectant, & pijs precibus animum non oculos fletibus addicant, nec inanibus verbis ora relaxent: Et iuxtà Apostoli monitum, non contristentur sicut, & ceteri, qui spem non habent.

Ad funera, & exequias accedant omnes Clerici (illius Parœciæ, in qua Defunctus iacet) si quando inuitati fuerint, cum veste talari superpelliceo mundo, & bireto: ceteris verò inuitatis extrà Parœciam vestem non talarem per-

mittimus; Sed tamen medium crus propè attingentem, & cum zona, & pro vt supra de Sacrificio Missæ prescribitur. Pileo nunquam vtantur, nisi cum pluit, aut ningit, aut est nimius Solis æstus, sub pena duorum Ducatorum Venetorum singulis vicibus soluendorum statim, pro vt Nobis placuerit, locis pijs applicandorum; cum autem ad Ecclesiam, in qua cadauer tumulandum est, peruenerint, eorum nemo prius abeat, nisi exequijs integrè persolutis sub pena amissionis cerei, & eleemosinæ occasione funeris illi contributæ, aut contribuendæ, aliisque grauioribus arbitrio nostro infligendis.

Quandocunque ad exequias plures Sacerdotes interesse debent, Parochus adsciscat Sacerdotes suæ Parœtiæ, suæq; Ecclesiæ Parochiali inseruientes, diligentiores semper cæteris præferendo: si verò locus adhùc superstit, euocet Parochos semper viciniores suę Vicarię; post hos autem etiam Capellanos eiusdem Vicariæ, & Clericos etiam Parœtiæ nundum Presbyteratus ordine insignitos.

Quæ pro Missa, aut Officio solent eleemosinæ tribui, eæ denegentur Sacerdotibus, qui in Ecclesia, in qua exequiæ peraguntur, non celebrauerint; fraudatur enim pia mens offerentiũ eleemosinas, & Ecclesia debito cultu viduatur.

Qui pariter Sacerdos non interfuerit Choro, dùm canitur nocturnum mortuorum, aut Missa solemnis, careat omni eleemosina, nisi tunc temporis sacrum faciat.

In sacrario dùm superpelliceo se induunt Sacerdotes, & cum Choro intersunt canentes, abstineant à vanis colloquiis, & religiosi legem silentii ori imponant. Nullus quoque Sacerdos dum Choro interest, siuè dùm alicui Ecclesiæ functioni superpelliceo indutus operam dat, tabacci puluerem, aut folium sumat, neq; eo tempore flabra manibus gestet ad euintilandas auras, sub pena vnius Scuti.

Occasione funerum, aut etiam solemnitatis diù, & longus adeò editur campanarum sonus, vt populo fastidium, vici-

vicinis tędium, ægrotantibus non ferendam pariant molestiam; hortamur igitur Ecclesiarum Rectores Sæculares, ac Regulares, vt eo vel lugubri, vel festo campanarum sonitu vtantur, quo fidelium deuotio excitętur non tędium, aut audientis indignatio.

Si contingat aliquem in Ciuitate extrà propriam Parœtiam occidi, vel aliquo fortuitu casu interire, tunc, si priuatim ad propriam Parœtiam defertur cadauer, nihil possit Parochus non proprius, in cuius Parœtia contigit mors, exigere ab hæredibus Defuncti, nullumq; ius super huiusmodi cadauer ab eo acquiratur. Si verò cadauer est cum funere à non propria ad propriam Ecclesiam Parochialem, seù aliam traducendum, tunc declaramus cadauer efferendum esse à Parocho, in cuius Parœtia quis occisus fuerit, vel interiit, atque adeò in huiusmodi euentu dignius latus illi, illiusque Cruci (excepta Cruce Capitulari Cathedralis) & à proprio Parocho, & ab eo, in cuius Ecclesiam forte deferendum est funus, omninò esse attribuendum pro vt in Synodo Illustrissimi, & Reuerendissimi Petri Emi 1628. *fol.* 5.

Si verò contingat aliquem fòris decumbere, cuius cadauer deferendum sit ad Ciuitatem, dum illuc petierit vel causa recollectionis fructuum, vel remissionis animæ, vel tuendæ aut recuperandæ incolumitatis, ea seruetur consuetudo, vt extrà Portas Ciuitatis consignetur proprio Parocho Vrbis, à quo cęteris præcedente (excipimus semper Capitulum) ad propriam si in ea tumulandum sit, vel ad alienam Ecclesiam, in qua sepulcrum Defunctus habeat, vel elegerit, associabitur. Neque in hoc casu possit Parochus ruralis ab Vrbano aliquid prætendere, aut exigere ratione quartæ (nisi fuerit proprius vnicus Parochus) huiusmodi autem censemus, si in eius Parœtia per maiorem anni partem Defunctus continuò habitauerit, si quidem in hoc casu ea seruari præcipimus; Videlicet, vt me-

dictas

dictas ceræ tum illius, quæ foris in deducendo ad Portas Vrbis cadauere, tum illius, quæ in asportando eodem in Vrbem ad Ecclesiam, in qua sepeliendum est, accenditur, seù quæ ratione quartæ iuri Parochiali debetur, æquis portionibus inter Parochos Vrbanum, & Ruralem diuidatur; Idem quoque volumus seruari, si è contra in Ciuitate quis occubuerit, cuius cadauer extrà Ciuitatem tumulandum sit: neque in his casibus Parochi, per quorum Parœtias cadauer processionaliter transeundo ad tumulum deducitur, possint quidquam exigere ratione Parochialis iurisdictionis.

Nullius roboris decernimus esse electionem sepulturæ extrà propriam Parochialem Ecclesiam in scriptis non factam à Defuncto, nisi ea depositione testium examinandorum in actis nostræ Curiæ Episcopalis constiterit, electionem huiusmodi spontè, & ex libera eligentis voluntate suisse factam, non verò phaleratis alicuius personæ verbis, artificique dolo, aut suggestione emunctam, siue extortam.

Cœmeteria muro, vel sepibus, aut alia ratione ita occludantur, vt nullis beluarum incursibus pateant. Ab herbis enascentibus quotannis expurgentur, quæ tamen in iumentorum cibum, aut substramen non cedant, sed vbi exsiccatæ fuerint, comburantur. Arbores nullæ, siue frugiferæ, siuè infrugiferæ solo illius coalescere sinantur, & si quæ coaluerint, aut etiam adoleuerint, procinus euellantur, aut excindantur, nihilque ibi congeratur, quod Ecclesiæ vsibus non deseruiat.

In reliquis circa funeralia, & præsertim cum contingit ab vna ad aliam Parœtiam Defunctum afferri, seruentur ea circa præcedentiam Parochorum, quæ decreta fuerunt ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Petro Emo Antecessore Nostro in Synodo habita 1628. circa mediam pag. 4.

De

De Pijs Legatis

Cap. XIII.

MIrum est, quàm sint ab omni sensu pietatis alieni, quantamque sibi iram congregent in die iræ, qui in Defunctorum hæreditatem adsciti, vel ad executionem testamētariam vocati pia eorumdem Defunctorum legata adimplere, vel ingratissima obliuione negligunt, vel increpanda cordis duritie contemnunt, amicitiæ simùl, & naturæ potissima iura corrumpentes, quæ & amico fidem, & consanguineis pietatem exactè seruandam decernunt. Ne igitur cuiuspiam dolo, auaritia, obliuione, aut negligentia deuotę fidelium voluntates pereant, & debito fraudentur effectu

Notarii ad Nos, siuè ad Cancellarium nostrę Curiæ Episcopalis deferre se teneri sciant tabulas de rebus piarum causarum nomine relictis à se confectas, & propria manu subscriptas infrà bimestre à die Rogationis huiusmodi Tabularum, huncque inter casus Nobis reseruatos recenseri, quò solicitiùs ab ipsis præstetur piorum notitia legatorū.

Hortamur pariter quascumq; alias personas vtriusq; sexus huius Ciuitatis, & Dięcesis, ad quarum manus hæreditario, aut quouis alio modo tabulæ siuè instrumenta, in quibus pia legata iacent, pro vt iacent, Nobis, vel Cancellario nostro, aut si malint etiam propriis Parochis deferant, quo possit fideliter inuestigari, an iis legatis plenè satisfactum fuerit, modò apertissimè non constet, dicta legata fuisse executioni quàm diligenter commissa.

Habeant Ecclesiæ libellum, fixamque in sacrario Tabellam, in qua distinctè legata omnia perpetua Missarum, vel Officiorum, quæ executioni mandanda sunt, contineantur vna cum indicatione instrumentorum, notatis die, mense,

anno,

sanno, & Notario; nec inde vnquam amoueatur.

Legata ad certum vsum instituta non possint in alium vsum quamuis pium conuerti, etiam accedente consensu hæredum, nisi habita vel à Nobis, in casibus permissis, vel à Sancta Sede legitima facultate.

Si aliquod Oratorium, vel Locus Pius, vel Ecclesia nolit acceptare legata sibi facta ob tenuitatem rei legatæ non sufficientis ad implenda onera, quorum interest; ij ad Nos accedant, qui iuxtà prudentiam decernemus, quid pro tenuitate hæreditatis agendum sit.

De Sacramento Ordinis.

Cap. XIV.

Militantis Ecclesiæ maiestas, quò sanctiùs eniteret; plures ministrorum ordines sunt instituti, quos ad tantæ dignitatis apicem non inanis ambitio, non lucri cupido, non vitæ luxus, aut ocium; sed seuerioris disciplinæ studium, & feruens in Deum charitas, fluxarumque rerum contemptus omninò promoueat necesse est; ita enim fiet, vt degeneri laicorum conuersatione Clericalis excellentia non sordescat, & tanto gradui vitæ sanctimonia respondeat, & non sit sicut Populus sic Sacerdos. Vt igitur in re tanta nemo peccet, hæc seruentur.

Qui Clericali militiæ adscribi voluerit, patefacto priùs Nobis suæ voluntatis voto, & à Nobis examinata vocatione, secum afferat fidem Baptismi; Confirmationis, & iuratam frequentationis Pœnitentiæ, & Communionis, singulis quibusq; mensibus, à decursu vnius anni ab ea die numerandi, qua coràm Nobis se præsentauerit: fidem pariter iuratam Doctrinæ Christianæ: & an habeat, vel habiturus sit sufficiens Beneficium, Pensionem, vel Patrimonium, quorum titulo ad Sacros Ordines temporibus suis

possit

possit promoueri. Fidem quoque de vita, & moribus, & de non pęnitendo in literarum studijs progressu à suis ludi magistris obtentam, accuratiùs à Nobis per delectos examinatores discutiendi, vt ipsorum voluntas pænitùs introspiciatur, & an ea polleant literarum scientia, quæ Sacerdotē deinceps idoneū spondeat, vt peritiores reddamur.

Qui Clericalem habitum semel legitimè sumptum dimiserit, & instar laici animo iterum illud sumendi per dies in publicum prodierit, si postea Nobis inconsultis, dimissum Clericalem habitum ausu temerario reassumpserit, nouerit se omni spe frustratum in posterum clericandi.

Qui in publico examine ordinationi præmitti solito non satis idonei reperti, ab ordinibus suscipiendis reiecti, reprobatique fuerint, nouo se examini non committant, nisi elapso trium mensium spatio, intrà quos soliciriori studio curent, vt promotionis desiderio Doctrinæ meritum par respondeat.

Ad singulos ordines promouendi per mensem antè corū ordinationem Nobis se sistant, & per decem dies sacras exercitationes præmittant ductu certi Sacerdotis doctrina, prudentia, ac pietate grauis à Nobis eligendi: cuius fidem testimonio roboratam pariter habere debebunt.

Ad sacrum Subdiaconatus ordinem promouendi habeant Titulum, siuè Beneficij Ecclesiastici, siuè pensionis, siuè Patrimonij, neq; illum resignare, neque extinguere, neque alienare possint, nisi legitimè constito, quod ordinatus ad illud habeat aliundè, vnde honestè viuere possit. Clericum autem, qui dolosè confecto titulo sacris ordinibus se initiari curauerit, esse ipso iure suspensum à Nobis præsentis vigore decreti declaramus.

Verùm quia plurimę fraudes præcipuè in Patrimonijs constituendis cōmitti possunt; vt eas à Nostra Dięcesi penitus propulsemus; huiusmodi Patrimonia constituentes iurare in actis nostræ Cancellariæ Episcopalis volumus, con-

ſtitutiones, quas faciunt, eſſe veras, & reales, nulli ęris alieni, hypotecæ ſimiliue oneri obnoxias, cum rei eiuſdem pacifica poſſeſſione, ac fructuum inde perceptione ſi extant, vel quando extabunt; nullamque inter ipſos, & ordinandum colluſionem intercedere. Patrimonia autem, quæ nulla colluſionis labe laborant, neque vllis partium fraudibus ſunt obnoxia, tribus ſaltem menſibus, antequam habeatur ſacra ordinatio, ter à Parocho, in cuius Parœtia Patrimonium illud extiterit inter Miſſarum ſolemnia, atq; etiam ter in Eccleſia Cathedrali diebus Dominicis, ſiuè feſtis continuis promulgentur. Simulq; Nomen, Agnomen, Parentes, & Parochialis Eccleſia, in qua ortus, & vbi proximè habitet ordinandus, publicetur. Moneanturque omnes, vt ſi quid impedimenti nouerint tùm circa promouendum, tùm circa Patrimonium, hoc ipſo vel Nobis, vel Vicario Noſtro denuncient. Idem omninò ſeruetur in promulgando titulo Beneficij, siuè Penſionis, ſi ad huiuſmodi titulum quis foret promouendus: quæ omnia ſeruanda etiam erunt, dùm quis erit aſſumendus ad ordines Diaconatus, & Presbyteratus.

Patrimonia nulla admittantur, cuius annui redditus ſummam conſuetam monetæ Cremenſis detractis publicis, & priuatis oneribus non adęquent, neque admitti poſſint patrimonia aſſignata à perſonis cum ordinando in tertio ſaltem conſanguinitatis, vel in ſecundo affinitatis gradu non coniunctis.

Sacros ordines ſuſcepturi hæc ſecum indubiæ fidei teſtimonia in promptu habeant videlicet legitimę ætatis, Ordinis vltimò ſuſcepti, functionum in Eccleſia, cui adſcripti ſunt, præſtitarum, Menſtruæ ſaltem Confeſſionis, & Communionis (ad Diaconatum tamen, & Presbyteratum promouendi ſingulis, quibuſq; Dominicis, & Feſtis ſolemnioribus communicent) ſpiritualium exercitationum decem dierum, Doctrinæ Chriſtianæ, Confeſſionis Generalis,

Men-

Menstruæ Congregationis casuum conscientiæ, seruatorum interstitiorum, Profectus in literis, cantus Gregoriani, tonsuræ, & habitus Clericalis, euulgati Patrimonij, & de vita, & moribus, & peritia recitationis Horarum Canonicarum.

Euectus ad ordinem Presbyteratus primam Missam non celebret, antequàm à Nostro Cęremoniarum Magistro probè fuerit examinatus, & tanquam idoneus approbatus, sub pęna suspensionis à Diuinis eo ipso incurrenda.

De Sacramento Matrimonij.

Cap. XV.

Dilectæ suæ Sponsæ Ecclesiæ maculas Christus Dominus in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, pio cruore detergens eam sibi exhibuit gloriosam non habentem rugam, neq; maculam, illique adeò firmitèr adhęsit, vt arctissimæ, & æternum duraturæ illius necessitudinis vinculum præsignari voluerit in fędere nuptiarum, per quod vir insimùl, & mulier indissolubili nexu copulati indiuiduam vitæ retinent consuetudinem. Ab ipsis etenim Mundi primordijs, quod in naturæ obsequium, & humanitatis solatium in horto voluptatis fuerat diuinitùs institutum, adueniente plenitudine temporis à Christo Domino fuit eleuatum in Sacramentum ad vberiores diuinę gratiæ fructus coniugibus elargiendos, ad susceptam sobolem in Dei timore educandam, atquę ad vehęmentes carnis stimulos retundendos. Vt igitur ea, quæ decet, sanctitate, ac reuerentia Sacramentum hoc magnum recolatur, atque suscipiatur, contracturos Parochi sedulò præmoneant, vt triduò antequàm contrahant, Sacramentali Confessione expient conscientiam suam, & sacro Communionis pabulo reficiant, ne, si quo lethalis cul-

pæ pondere premuntur, nouo scelere ad Sacramentum hoc indignè suscipiendum accedentes obstringantur.

Ad denunciationes, quæ ex Decr. Con. Trid. præmitti debent ante contractum Matrimonium, non deueniatur, nisi ex consensu contrahere volentium, quem Parochus ab vtrisque exquiret seorsùm, & semotis arbitris, ità tamen, vt dum nupturæ spontaneam voluntatem explorat, possit à longè distantibus consanguineis, vel propinquis videri.

Si post factas publicationes, elapso bimestri, contractus Matrimonij non ineatur, volumus publicationes iterùm repeti, etiam si nullum ante detectum fuerit impedimentum.

Impedimento aliquo detecto, quodcumque illud sit, siuè verum, siuè fictum, neque ad Matrimonij celebrationem, neque ad vlteriores denunciationes procedat Parochus, donec Nobis, vel Vicario Nostro consultis, quid in re agendum sit, decernatur; sciatque ex sponsalibus validis licet mutuo contrahentium consensu solutis oriri impedimentum publicæ honestatis, sic decidente S. Cong. Card. Trid. Interp. 6. Iulii 1658.

Denunciationes eiusmodi tribus continuis diebus Festis (qui quantum fieri potest inter se consequentes non sint) inter Missarum solemnia, cum populus frequentior aderit, à proprio contrahentium Parocho fiant: neque absque nostra speciali facultate in scriptis concedenda vnquam omittantur, aùt minuantur.

Si vterque, vel alteruter contrahentium fuerit alienæ Diœcesis, ad nullas Parochus pergat denunciationes, neque ad explorandum consensum, donec à curia Episcopali, iuxtà formam instructionis S. Cong. Card. S. Off. S. Inq. in alma Vrbe peracto examine, fuerit illi expedita in scriptis facultas, quam in actis Parochiæ inserere debebit. Idem omninò obseruetur, cum vtriusque vel alterutrius contrahere volentium prior vir, seù vxor in aliena Diœcesi diem suum clauserit extremum.

Si

Si quis ſponſorum, vel ambo ab vna in aliam Parœciam tranſmigrauerit, niſi ſaltèm per bimeſtre in noua Parochia habitauerit, denunciationes fiant vtrobique, hoc eſt, & à qua receſſit, & in qua tunc domicilium habet. Quod ſi ambo ad nouam Parochiam diuerterint, fiant in priori, vbi domicilium habuerunt.

Poſt vltimam denunciationem Parochus non coniungat contrahere volentes, niſi ad ſequentem diem: neq; poſtremo denunciationum die detur à Parochis fides de nullo detecto impedimento ad contrahendum Matrimonium. Illudq; ſemper in Eccleſia peragatur, niſi à Nobis aliter fuerit diſpenſatum.

Hortentur quoque parentes, ſeù conſanguineos ſponſæ, ne tàm facilem veniam præbeant ſponſo colloquendi cum ſponſa, aut manendi ſe ſolis, ſed vt poſt peractas denunciationes quanto citiùs fieri poterit Matrimonium in facie Eccleſiæ celebretur nunquàm, niſi cum vidua nubit, à ſolemni benedictione ſe iungendum; accepimus enim in quibuſdam Parœtijs noſtræ Diœceſis huiuſmodi corruptelam irrepſiſſe, quam damnamus, vt Matrimonium ſummo mane celebretur, & poſtmodum ſub meridiem ſponſi in Miſſa benedicantur.

Admoneant pariter filios familias, quod licet ad validitatem Matrimonij non exquiratur Parentum conſenſus, aut ſcientia; rationi tamen maximè conſonum eſſe, Parentibus, & ijs, in quorum fide, & poteſtate ſunt, eum honorem tribuere, vt ipſis inconſultis, nedùm inuitis, ac repugnantibus, rem tanti momenti non aggrediantur: quin potiùs illorum conſilijs, & placitis humiliter acquieſcant.

Si quis autem ob aliquod impedimentum vel certum, vel dubium, non præmiſſis denunciationibus, vel non expedita à curia Epiſcopali facultate ex defectu requiſitorum, aut etiam à Nobis iuſtis de cauſis eadem facultate ſuſpenſa, in tàm proiectam eruperit temeritatem, vt coràm Paro-

cho

cho inscio, & inuito siue in Ecclesia, siuè extrà in præsentia testium, vi, aut fraude contrahere tentauerit, contrahentes ipsi, & testes, quiue ad id consilium, aut auxilium præstiterit, excommunicationis vinculo nouerint se ipso facto innodatos, cuius absolutionem Nobis reseruamus; Insuper exilij, carceris, triremis, alijsque grauissimis pœnis à foro sæculari per Nos implorando plectendos.

De Vita, & Honestate Clericorum.
Cap. XVI.

APprimè decet Clericos in sortem Domini vocatos ea morum innocentia esse præditos, vt verè in illos cadat præclarum Apostolorum Principis elogium, en gens sancta, Regale sacerdotium; à rebus enim sæculi in altiorem sublati gradum omnium ora, atque oculos in se conuertunt, atque ab eorum moribus cæteri de populo discunt, quod imitentur. Si pietatis, si religionis, si modestiæ, si continentiæ, si, quæ tantopere nos Deo commendat, sanctæ humilitatis virtutibus eos esse ornatos conspiciunt; mirum est, quantum & ipsi ad dirigendos pedes suos in viam pacis excitentur. Contra verò si quid in illis offendunt, quod censura dignum sit, vbi est Deus Clericorum! protinus exclamant, atque insuper tantis sub auctoribus ipsi quoq; licentiùs prauis affectibus indulgent iuxta illud: Si Sacerdos, qui est vnctus, peccauerit, faciet delinquere populum. Vt igitur tanti characteris dignitas turpissimis vitiorum maculis non obsolescat, sed in dies latiùs benè viuendi Laicis præferat faces: hæc seruentur.

Habitum Clericalem, & tonsuram constanter deferant, coronam quoque eorum dignitatis insigne summo in vertice gestent singulis quibusque saltèm quindecim diebus renouandam; barba etiam, & caput eorum ad Clericalem disci-

disciplinam ità sint detonsa, vt decurtatis capillis aures vtrinque pateant.

Sacerdotes, & Clerici maioribus ordinibus initiati in publicum nè prodeant Clericali habitu non induti, etiam si ad breue tempus sint domum reuersuri, sub pęna vnius auri singulis vicibus exoluenda, cuius medietas vna accusanti, altera pauperibus erit elargienda: quinimmò neque cum domi suæ versantur deposito Clericali habitu eo loci se collocent, quo facilè à prætereuntibus videri possint, sedendo videlicet, vel in limine ianuæ, vel extrà ianuam.

Vestes eorum non sint neq; nimium ad elegantiam compositæ, vt delicias redoleant; sciant enim modesta veste nihil esse nobilius, & sibi proponant sapientissimum dictum Zachariæ Pontif. Nos inquit non honor commendat vestium, sed splendor animarum. Neque tamen sint laceræ, aut sordibus deturpatæ, vt contemptum pariant. Hæ verò vestes exteriores zona semper, aut cingulo præcingantur, Interiora quoque vestimenta, nec non caligæ, & calceamenta tàm coloris modestia, quàm cultus simplicitate religiosam præseferant humilitatem.

Tempore æstiuo Clerici, Sacerdotes etiam si Parochi sint, & Rectores animarum, neque in Vrbe, neq; ruri extrà domum versentur, aut peregrè incedant ea veste linea tantùm superiore tecti, etiam si sit nigri coloris, quam vulgus nuncupat *Brandinburgo*, *seù Spoluerinum*, nisi subtus vestem Clericalem gestent. Non choreis se interserant, non laruati incedant, spectaculis, comedijs, & theatris non adsint: tabernas, nisi itineris necessitate compulsi non adeant sub pęna duorum aureorum, alijsq; grauioribus pro qualitate delicti arbitrio nostro infligendis. Nullum armorum genus adhibeant: sclopos verò cuiuslibet generis, vel quantitatis de die, vel de nocte ne deferant, sub pęna suspensionis à diuinis ipso facto incurrendæ Nobis reseruatæ. Sclopetam tamen permittemus venationis causa habita prius à

Nobis

Nobis, vel Vicario Nostro licentia gratis danda.

Nullus quoq; sine habita à Nobis facultate exorcismos adhibeat super energumenos, neq; simplex Sacerdos functiones Parochiales obeat, nisi de Rectoris, vel nostra licentia.

Aleas, taxillosque fugiant, nec per vias noctu vagentur instrumenta musica pulsantes, aut cum ea pulsantibus: ab illis, quæ cum clamore, & strepitu fiunt, venationibus abstineant: non villici munere fungantur, non aliena prædia conducant, neq; vllum sordidi quæstus officium exerceant. Caueant ne eorum corda grauentur crapula, & ebrietate, ideoque laicorum conuiuia, in quibus factis, dictisue obscęnis candor læditur puritatis, euitent. Ita tandem cautè, modestèque cum Laicis versentur, vt ex nimia familiaritate contemptus non emergat. Id loci, quo se collectim recipiunt mulieres, vt nendis linis operam dent, siuè vbi earum conuenticula celebrantur, & mares ad amorem, vt vulgo fertur, faciendum solent confluere, omninò vitent; sub pęnis arbitrio nostro infligendis.

Propè suspectarum fęminarum domum non habitent, nimiam etiam familiaritatem quouis officij, aut pietatis prętextu cum mulieribus fugiant, quanti enim, teste D. Ambrosio, non dederunt errori locum, & dederunt suspitioni.

Sub pęna suspensionis ipso facto incurrendæ, si Clerici fuerint in sacris constituti, nullus quamcumq; mulierum etiam si non suspectam, etiam bonæ famæ, & quadragenaria maiorem, sub quouis seù ancillatus, seu famulatus nomine absq; speciali nostra scripta licentia domi secum retineat, vel ad quotidianum, aut quasi famulatum illas admittat, etsi extra domum versetur: Excipimus tamen omnes consanguineas intrà secundum gradum; Si verò Clerici fuerint in minoribus constituti, qui huic constitutioni non paruerint, careant omni spe fore, vt ad maiores ordines promoueantur.

Clerici omnes, & Sacerdotes singulis diebus Dominicis, & Festis Ecclesiæ suæ Parochiali, siue alteri sibi commodiori inseruiant superpelliceo semper, & bireto induti. Parochorum autem sit eosdem Sacerdotes inseruientes ad emolumenta eiusdem Ecclesiæ præ cęteris admittere.

Supplicationibus, siuè quæ ex generali præcepto Ecclesiæ, siuè quæ ex speciali nostræ Ecclesiæ Cremensis consuetudine ad implorandam diuinam opem, vel ad referendas ob parta nobis diuinitus Beneficia gratiarum actiones per annum fieri solent, Clerici omnes talari veste, & superpelliceo mundo induti, Clericale quoque biretum, & Clericalem suo ordini coronam gerentes sub pęna vnius Ducati, quàm diligentissimè intersint. Cum verò ad Ecclesiam Cathedralem accesserint, hac, illacque non diffluant, sed animo in Deum intento in eadem supplices orent; cum autem supplicatione inchoata ipsis erit recedendum, non sparsim, neque cateruatim, sed bini, & bini ordine discreto procedant, locum dantes, & manum illi, à quo vel maiori ordine, vel suscepti ordinis tempore præueniuntur, ità tamen, vt Beneficiati cęteros præcedant beneficio carentes. Dum processionaliter incedunt, abstineant à risu, cachinnis, & à quibusuis confabulationibus, oculos hùc atque illùc non circumferant, nec ventilabra præ manibus gestent, neque vllum in via salutent, sed toto corpore ad modestiam, & humilitatem composito, quæ à præcinentibus Clericis Litaniæ, seu Preces funduntur, easdem alta voce repetant, siuè secum tacitè meditentur. Ad Ecclesiam denique reuersi, nisi peractis de more precibus, & tota sacra actione persoluta, nemo sub eadem pęna discedat. Offenduntur enim Laici, dùm ad Ecclesiam Cathedralem regressi ex pleno Clero præterquam paucissimos vident.

Die Cęnæ Domini, quo sacra olea à Nobis Pontificalibus induti cęlesti benedictione implentur, & ad salutaris vsus consecrantur, Clerici omnes Diaconi, Subdiaconi, &

simplices Sacerdotes summo mane ad Ecclesiam Cathedralem accedant cum vestibus sacris suo cuiusque ordini congruentibus, vt à Magistro nostro cęremoniarum selectis, qui huiusmodi ministerio sunt opus, Nobis assistant, sub pęna octo librarum ceræ albæ in cereos, aut intorsitias elaboratæ.

Congregationes pariter casuum conscientiæ, quæ in nostro Episcopali Palatio singulis mensibus haberi solent, Clerici omnes, qui sacris sunt initiati, Sacerdotes, Confessarij, Parochi, & Præpositi omnes frequentent, sciantque Subdiaconi, & Diaconi non esse ad maiores ordines promouendos, nisi huiusmodi frequentiæ à Præfecto huiusmodi Congregationis à Nobis eligendo fidem in scriptis detulerint: Sacerdotes verò si huiusmodi fide caruerint, literas eorum patentes pro Missa celebranda, cum ad Nos, vel ad Vicarium nostrum pro illarum subscriptione accesserint, sciant esse suspendendas ad tempus Nobis benè visum. Si quis verò eorum, quibus animarum cura credita est, nullo legitimo impedimēto detentus ab huiusmodi congressibus absfuerit, pęna duorum aureorum pro qualibet vice mulctabitur, pro vt decernitur in Synodo Dieda fol. 35. coacta anno 1609. alijsque grauioribus pro modo culpæ per Nos taxandis.

Idem etiam eodem ordine, & sub eadem pęna, quibus supra, volumus seruari à Clero Diœcesano in Congregationibus, quæ in singulis Vicarijs statutis temporibus habebuntur.

Sed quia ad Clericorum animos exornandos, morum integritati literarum quoq; studia debent accedere; Habeat vnusquisq; in sacris constitutus infrascriptos libros videlicet Kalendarium, & Breuiarium, Cathechismum, Conc. Trid. Summam aliquam, in qua conscientiæ casuum discutiantur, puta Nauarri, Toleti, aut Medullam Busembai, vel alias huiusmodi; has quoque nostras constitutiones, easq;

con-

continuò euoluant. Nec illis desit aliquis libellus piè conscriptus ad Orationem mentalem eliciendam, vt Opera D. Francisci Salesij: Stellæ, Spinulæ; præcipuè verò manibus teneant Tractatum Asceticum de Sacrificio Missæ Eminentissimi Card. Bonæ, & exercitationes perfectionis Alphonsi Rodriquez, quarũ lectione mirum est ad fluxarum rerum contemptum animus quantum assurgat, & quantam de Diuinis rebus loquendi copiam hauriat.

De Officio Parochi.

Cap. XVII.

Licet ferè omnia, quæ hactenùs dicta sunt, eò pertineant, vt idoneum Pastorem animarum efforment; tanta nihilominus est huius muneris ratio, vt totam ad se reuocet nostræ mentis solicitudinem. Ars quippè artium cum sit regimen animarum, quis in ea excolenda adeò se profecisse fatebitur, vt illam penitùs callere præsumat? Onus certè supra omnem fidem graue, ac fortissimorum humeris formidabile. Quid enim homini metuendum magis, quàm oues non corruptibilibus auro, atque argento, sed pretioso Sanguine Iesu Christi emptas, sibique diuino nutu concreditas, tot luporum incursibus fatigatas ad æternitatis pascua perducere? meminerint igitur Parochi non ad propria commoda, non ad diuitias sibi auaris, vel hæredi prodigo congerendas vocari, non ad luxum, aut ad splendentem inani fuco gloriam, sed ad labores impigrè subeundos, ad tolerandas molestias, & ad vitam etiam pro ouibus suis præclaro tot difficultatum certamine profundendam: habituri coronam iustitiæ, quam reddet illis iustus Iudex, si bonum certamen certauerint, & fidem sui muneris accuratè persoluerint. Quod vt faciliùs consequantur, hæc ipsis obseruanda proponimus.

Legitimo impedimento cessante, Sacramenta ipsi per se ministrent, etiam si vice Parochum, siuè alium Sacerdotem Parochialia munera obeuntem à Nobis impetrauerint; sanguinem enim ouium, si qua perierit, non de manu cuiusquam, sed proprij Pastoris se esse exquisiturum testatus est Dominus. In Sacramentorum autem administratione ritus in Rituali Rom. præscriptos adamussim obseruent.

Diebus Dominicis, & Festis pro ouibus suis sacrificium offerant. Quod si ratione solemnitatis ad aliam Ecclesiam digredi contigerit, id nè fiat, nisi sacrificio in propria Ecclesia prius peracto, vel nisi alius Sacerdos substituatur, qui eius loco celebret. Inter quoq; Missarum solemnia, quando opus fuerit, ieiunia, Festos dies, & Decreta nostra, vel Prædecessorum nostrorum Synodalia ex præcepto enunciaanda enuncient. Vespertinas horas dictis diebus in Ecclesia canere, aut si cantores desint, submissa voce dicere nunquam omittant. Singulis saltèm quibusque quindecim diebus aquæ lustralis consecrationem peragent, & Sabbathi Sancti die, quo aqua Sacri Fontis pleniori benedictione per manus Sacerdotis sacratur, Parochi etiam Vrbani permissum à se Sacerdotem superpelliceo, & stola alba indutum præcedente Clero cum vasculo eiusdem aquæ, & aspergillo singulas suæ Parœciæ domus aspergi deinceps sedulo studeant.

Domos inhabitent Parochiales, aut Parochialibus adiacentes, aut saltèm à Parochialibus non longè distantes, vt vocati ad Sacramenta administranda, & ad alia sui muneris peragenda præsto sint; neque domo discedant, quamuis ad breue tempus redituri, si in Parœcia sint ægroti.

Nocturno tempore nunquam sint extrà fines Parochiæ, nisi ex legitima causa, & aliquo idoneo Sacerdote substituto: licebit tamen illis toto triduo abesse, dùm intrà annum plusquam duos menses iuxta Concil. Trid. non absint, & dummodo facultatem à suis Vicarijs Foraneis in

scriptis

scriptis priùs obtinuerint; Sacerdotem quoq; ad id aptum à Nobis, aut Vicario Nostro approbatum semper substituant. Si longiori tempore abesse opus fuerit, Nos præmoneant, vt quæ opportuniora visa fuerint, præscribamus.

Qui sine licentia à Nobis, vel Vicario Nostro in scriptis obtinenda plusquam sex dies à Parochia discesserit, pœnam scutorum Cremensium trium toties dabit, grauioremque pro culpa grauiori. Spectabit autem ad Vicarios Foraneos, vt hæc inuiolabiliter de residentia obseruentur, ad Nos deferre inobedientium nomina, & genus culparum; aliàs ipsimet punientur.

Viduarum, ac Virginum egestate laborantium, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerant. Orphanos pariter, ac pupillos pro viribus tueantur: ægrotantibus verò Sacramenta tempore opportuno administrent, & ex hac vita migrantes pijs precibus personaliter vsque ad obitum, quantum fieri potest, adstantes Deo commendent, curentque statim, ac aliquis Parœcianus è viuis excesserit, publicum dari campanæ signum, quo de proximi sui obitu fideles admoniti orationibus illius animæ suffragentur.

Dissidia, & contentiones, si quando inter suæ Parœciæ subditos exortas cognouerint, opportunis exhortationibus, ac monitis in neutram partem æquo propensiores quàm citissimè studeant componere, & publicos peccatores in Domini caulam deducere, potentesque sint in doctrina sana exhortari, & eos, qui contradicunt, redarguere; nè aliàs Sacerdotalis seueritatis immemores tanquam canes muti non valentes latrare, dum culpas corripere metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blandiantur.

Sæpè sæpiùs admoneant populum, quàm immane, & impium scelus sit, falsum deponere testimonium in iudicio tàm ciuili, quàm criminali, licèt in nullius præiudicium, ac

perniciem prolatum falsum iuramentum vergat, quinimmò etiam si innocenti suffragetur, in quo quamplurimi allucinantur, existimantes, quoties de alterius damno non agatur, licere peierare.

Habeant Parochi libros Baptizatorum, Confirmatorum, status animarum singulis quibuscunque annis elapso à die Paschatis octauo conficiendi, Matrimoniorum, & Mortuorum suæ Parœciæ, quos cautè apud se retineant, nec vlli fidant: quos libros, si Parochus de vna ad aliam Parœciam per assecutionem noui beneficij commigret, Sacerdoti OEconomo illius Ecclesiæ, à qua ipse recedit, fideliter tradat.

Cum publica supplicatio in Cathedrali habenda erit diebus, vt supra in cap. 13. adnotauimus, Præpositi Vrbani nullo legitimo impedimento detenti eidem interesse satagant.

Si quis Parochorum nostræ Diœcesis graui morbo laborauerit, vicinior respectu Ecclesiæ Parochialis Sacramenta tempestiuè administrabit, idemq; secuta morte demortui cadauer efferet, & exequiale funus deducet. Vicarij tamen foranei partes erunt de huiusmodi Parochi obitu Nos reddere certiores, vt de OEconomo eidem Ecclesiæ prouidere possimus, cui ab hæredibus Defuncti illicò tradendi erunt libri, & scripturæ ad Ecclesiam, & Parochialia iura spectantes, nec non cętera, quę sub iure defuncti Parochi seruabantur, cum tamen eius iuris non essent.

Moneant Patrem, & Matrem, ne secum in eodem lecto, quamuis graui egestate laborent, detineant liberos suos, decennio maiores, in quorum mentem dolus cadere potest; vbi enim eos in eodem lecto iacere permiserint, grauis culpæ reatum vix effugient; caueant itaque, vt in aliquo alio à suo quantũ fieri potest seiuncto lecto sequestres dormiant. Mares pariter simul cum fęminis etiamsi fratres, & sorores sint, modò ad eam ætatem peruenerint, qua bonum à malo

secer-

fecernere dignofcantur, nullatenus in eodem lecto decumbere patiantur.

Moneant interdici à Nobis quibufcunque vtriufque fexus fignare, & benedicere morbos cuiufcunque fpeciei, nifi priùs modus fignandi fuerit approbatus à Nobis, vel à Vicarijs foraneis, fiuè à Parochis proprijs Vrbanis.

Increpent fæpè fæpiùs Blafphemos, qui aufu temerario Dei nomen violare non erubefcunt: moneantque Patres familias, vt fi quos domi fuæ nutriunt ad famulatum, vel ad artes exercendas, qui peffima blafphemandi confuetudine impiè detinentur, eos quàmprimo domo expellant, & fi fecus fecerint, blafphemantium peccatis participes fore certò fibi fuadeant.

Nullis Ecclefijs, fiuè Oratorijs intrà fines fuæ Parœciæ pofitis, homines habitum Eremiticum legitimè geftantes inferuire, eleemofynas à fidelibus emendicare fine habita à Nobis in fcriptis licentia Parochi patiantur: & occulati inuigilent fuper vita, & moribus eorum: quos autem, vel non religiosè viuere, vel Ecclefijs, quarum feruitio funt deftinati, fedulam operam non nauare, aut Doctrinam Chriftianã non frequentare, & Ecclefiafticis functionibus diebus Feftis Parochorum nutu non adeffe compererint, vbi ab ipfis admoniti non refipuerint, ad Nos quàmprimùm deferant, eorum focordiæ, vel inobedientiæ opportunioribus remedijs prouifuros.

Neminem quoque alterius Diœcefis facco, vel non facco indutum, fine legitima facultate quæftuare permittant.

In quibufcunq; Congreffibus Ecclefiafticorum pro qualibet functione obeunda, femper præcedentia debeatur Beneficiatis fupra non Beneficiatis, etiamfi fint diuerfæ Vicariæ.

De Vicarijs Foraneis.

Cap. XVIII.

EPiscoporum munus est, quæcunque ad optimum regimen Ecclesiarum suarum spectant, pro viribus prouidere; sed quia nulli hominum fas est, singula oculis explanare, aut præsentia custodire; quemadmodum Parochorum ministerio in Sacramentorum administratione Pastoralis Presulum cura omninò indiget; ita eorumdem Episcopalis iurisdictio ad Ecclesiasticam disciplinã, vel relaxatam corrigendam, vel benè correctam in officio continendam Officialium, quos Foraneos vocant, opera plurimùm iuuatur. Quicunq; igitur ad hoc munus eligantur, sciant, se in partem nostri operis esse vocatos, illudque sæpiùs attentè cogitent, se Deo cooperari ad animarum salutem, quod teste Areopagita Diuinorum diuinissimum est.

Quapropter spreto cuiuscunque inanis gloriolæ lenocinio, munus suum accurata modestia implere studeant, & graui, prudentiuè regimine in suo quisque Vicariatu præsidere satagat. Vigilantiæ suæ oculos per vnamquamque sibi subiectam Ecclesiam circumferentes, dispiciant, nùm decenter custodiantur; nùm sacra suppellex niteat; nùm ante Sanctissimum Sacramentum diu, noctuq, continenter lampas preluceat; an Parochi diligenter resideant; Sacramenta ministrent; Christianam Doctrinam statis temporibus edoceant; an infirmis assistant; cæteraq; munia Parochialia ritè obeant: an Populum probatæ vitæ exemplo ædificent, an potiùs corruptis moribus destruant: an deniq; decretis huius Synodi, & Nostræ visitationis solicitè intendant; quos verò in aliquo ex prædictis negligentes deprehenderint, eos paternè moneant: quod si correcti non paruerint, ad Nos, vel Vicarium Nostrum pro culpæ grauitate quàmprimùm referant.

Clericorum, & Capellanorum quoq; mores inuestigent: & an singula, quæ in hac Synodo ab ijs præstanda decreuimus, sedulò præstentur.

Nostra si quæ Decreta, aut Encyclicas literas acceperint, ad suos comparochos quantò citiùs transmittant.

Habeant saltèm nouem quolibet anno Congregationes casuum conscientiæ, ità tamen, vt vnus tantùm mensis eas intermediet, non duo, aut tres continenti fluxu prætereant Congregationibus vacui; ità enim fiet, vt huiusmodi numerus, neque hyemis asperitate, neq; Quadragesimæ ieiunio, vel messis, aut vindemiæ curis excludatur.

Casus discutiendi proponantur ab eo Parocho, in cuius Ecclesia habenda erit Congregatio, ità tamen, vt, post vltimo discussos, statim eadem die proponantur discutiendi: & decisiones per definitorem in vnaquaq; Vicaria communibus Vicarij, & Comparochorum suffragijs eligendum, si nondum fuerit electus; simulque quæstiones in futura Congregatione dissoluendas literis obsignatas cum nominibus eorum, qui Congregationi non interfuerint, Vicarij Foranei ad Nos deferant termino octo dierum, sub pęna vnius auri ab ijs soluenda, si in hoc fortè defecerint.

In proponendis autem casibus illud semper circumspiciatur, vt omissis quæstionibus, quæ ad rem non pertinent, eæ tantùm difficultates in medium afferantur, & enucleentur, quæ ad tollendas corruptelas, & abusus, quibus quisque Parochorum suas Parœcias nouerit detineri, vel ad inserendas Fidelium mentibus virtutes, quibus viderit indigere. Rubricæ Missalis, quæ ad Missæ sacrificium spectant, omninò non negligantur, quinimmo illarum semper aliquid in singulis Congregationibus examinetur, vt ritus in Missa adhibendi Sacerdotum animis, præsertim Capellanorum altiùs hæreant. Legantur pariter hę nostræ Constitutiones Synodales ità partitim, vt euolutis nouem Congregationibus quotannis habendis, tota illarum series ab-

 solua-

soluatur; neque vlla pars omittatur.

Habeat Vicarius Foraneus librum, in quo notentur dies, mensis, annus, casus discussi, & Ecclesia Parochialis, in qua habitæ fuerunt Congregationes, & præsertim in huiusmodi librum redigantur decisiones discussorum casuum fultæ binis saltem validioribus argumentis, & rationibus, & Doctorum auctoritatibus.

Si quis Parochorum sinè iusta de causa à Nobis diligenter examinanda ab huiusmodi Congregationibus absuerit, pęnam, pro vt supra de vita, & honestate Clericorum notauimus, soluet; Capellani pariter eadem afficientur pęna, qua ibidem absentes censuimus puniendos.

Si Rectori, vel Parocho illius Ecclesiæ, in qua Congregatio habita fuit, placuerit alios interessentes Congregationi mensa excipere, aurea frugalitate eos excipiat, & vnusquisq; commensalis sobrietati attendat, ne, dum corpus cibo nutritur, animus virtute salubris temperantiæ languescat; nullusque Laicorum assidere in mensa permittatur; quæ duo hæc maximè debent esse curæ Parochis omnibus, quotiescunque in simul accumbere contigerit; mensam autem semper præeat Benedictio, & gratiarum actio subsequatur.

De Ecclesia Cathedrali.

Cap. XIX.

ECclesia Cathedralis cæterarum mater, & magistra eo debet cultu, & maiestate nitere, qua maior vix dici possit: eo debet florere exemplo virtutum, vt cęteris nedum præesse videatur, sed verè etiam præsit. In eam etenim veluti in nitidissimum pietatis, & perfectionis speculum reliqui Ecclesiarum Rectores oculos conijciunt, ab eaque petunt veluti ab exemplari omnia Ecclesiasticæ disci-

disciplinæ instituta, cęremonias, & reliqua, quibus religionis cultus continetur. Dent igitur operam Dignitates, & Canonici Ecclesiæ nostræ Cathedralis, vt sicuti cęteris dignitate præcedunt, ità etiam sanctitate, & decore præluceant.

Cum ad Diuinam Psalmodiam, qua sponsa in hoc exilio absentiam suam à cęlesti sponso solatur, in Choro Deo concinendam conueniant, ipsi quoq; canant, & verba distinctè pronuncient: In medijs versiculis omnes interquiescant: Nemo suum incipiat versiculum, nisi altero è regione persoluto.

Dignitates, Canonici, & PręPrębendarij, siuè Mansionarij, dato signo campanulæ de more, omnes ad Cathedralem conuenientes superpelliceis, & insignibus pro cuiusque munere induti ad Chorum accedant ea grauitate, quam & sui ordinis dignitas, & Diuini Officij mox à se persoluendi summa ratio exquirit. In Choro, & Processionibus nullus flores gestet: non ventilabris vtatur: non vllum Tabacci genus sumat: non literas legat: non confabulationibus se dedat: non risu erumpat: sed iuge silentium singuli seruantes Regi Terræ sapienter psallant.

Delinquentes notabiliter in Chorali disciplina à Punctatore antè moniti, nisi prima vice resipuerint, omninò punctentur.

Ante peractum Officium, Missamq; nemini à Choro discedere fas sit prætextu celebrandæ Missæ, sinè licentia Præfecti Chori. Nè tamen tempore ipso Diuinorum Officiorum in Sacrario plures quàm duo Sacerdotes Canonici celebraturi se detineant, nec tertius à Choro celebraturus recedat, nisi alter ex illis ad Chorum redierit, & qui tertius accesserit, tanquam absens à residentia punctetur; nemini verò ex Præbendarijs tempore Diuinorum Officiorum, sinè vrgenti necessitate, celebrare liceat.

Capitula à Dignitatibus, & Canonicis ritè fiant: singu-

 lis

lis saltèm mensibus pro rebus spiritualibus, & temporalibus mensæ dirigendis cogantur statis diebus, non tamen Dominicis, aut Festis, vel Diuinorum Officiorum temporibus. Ibi agenda tractentur Sacerdotali, & Canonicali modestia. Per secreta suffragia res omnes statuantur, & expediantur.

Pridie saltem ante celebrationem indicatur Capitulum ab eo, ad quem vti primo in Ecclesia spectabit, citatis omnibus, & singulis Dignitatibus, & Canonicis, significataque re, de qua consulendum, & deliberandum erit. Res grauiores in primo Capitulo proponantur, in alio decernantur, nisi secus cogat necessitas, aut angustia temporis exigat.

Electus ad officium Punctatoris meminerit, se teneri in manibus nostris iurare, se in officio suo fidem, & diligentiam præstiturum, nec transuersum vnguem à legibus discessurum, iuxta statuta Illustrissimi Iacobi Diedi vigilantissimi Antecessoris nostri in eius Synodo fol. 21. Tit. de Canon. & Præben., quam & Nos confirmamus, districtè præcipientes in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pęnis Nostro arbitrio statuendis, ne aliquis electuş in punctatorem differre audeat iuramentum vt suprà præstandum vltrà duos dies ab eius electione, eoque præstito iuxta id, quod iurauit, officium suum exactè adimplere satagat, posthabito quolibet humanitatis affectu; ne, si facilis negligentibus conniueat, alienis peccatis communicet, cęterorumque inseruientium damni indè enati onus in se transferat reparandi.



De

De Monialibus.

Cap. XX.

MOniales etiam, quæ fluxarum opũm ſpreto fulgore paupertatem ſolidam religioſæ vitæ patrimonium ſectantur ſtudio placendi bonorum omnium largitori Chriſto Ieſu, qui diues cum eſſet propter nos eſt factus egenus, hoc vno fęlices, quod amittentes terrena, quæ fures effodiunt, & furantur, veniunt in certam ſpem cęleſtium, quæ nec dari poſſunt ab hominibus, nec auferri, eoq; fęliciores, quod è ſæculi periculis erutæ, carnis illecebras coercentes ſponſo, qui paſcitur inter lilia virgineo fragrans odore, lilium in horto ſui corporis ſuauiter educant; paſtoralis noſtri Officij ſolicitudo tanquam dilectiſſimas in Chriſto filias paterna charitate complectitur.

Meminerint igitur, & ſępè ac ſępiùs ſecum meditentur, ſolemni profeſſione paupertatem, obedientiam, caſtitatemque ſe vouiſſe, atque adeo quod ore ſemél ritè protulerunt, opere etiam, vſque ad extremos vitæ halitus, adimplere ſatagant. Suarum inſtitutionum obſeruantiam, quæ ad regularem diſciplinam maximè pertinent, firmiter teneant, & ſi quas earum in deſuetudinem abijſſe conſtiterit, quas inſtaurari ſatius ſit, Abbatiſſæ, ſiuè Prioriſſæ pro viridi illarum obſeruantia vrgeant. Iuxta Sacros Canones, & Apoſtolicas ſanctiones clauſuræ limina inuiolabiliter cuſtodiant, & nè ab aliis violentur, occulatè intendant, videlicet quibus neceſſitate vrgente à Nobis ſpecialiter approbatis ſepta Monaſterii ingredi permiſſum, vt quàm diligentiſſimè caueant, nè data facultate abutantur: qui ſecùs fecerint, aut aliàs conceſſis licentiis abuti præſumpſerint, pęnam excommunicationis aduerſus clauſuræ violatores ſe incurriſſe pro certo habeant.

Nemo

Nemo Clericus cuiusque status, gradus, conditionis, ac dignitatis existat, sine nostra, aut Vicarij nostri habita in scriptis licentia per Ianitrices Abbatissæ, seù Priorissæ Monasterii priùs exhibita, ad ipsius Monasterii collocutoria, crates, & rotas, portas, siuè fenestellas Moniales allocuturus sub quouis prætextu accedere præsumat, sub pęna suspensionis ipso facto incurrendæ, Nobisque reseruatæ, pro vt decernitur in Synodo Illustrissimi, & Reuerendissimi Petri Emi Prædecessoris nostri habita 1619. Dec. 17. de collocutione cum Monialibus, aliisque arbitrio nostro infligendis.

Nemo similiter Laicus, sinè eadem facultate, sub culpa, aliisque grauissimis pęnis ab vtroque Foro imponendis, pro vt in Dec. supra citato, ad dicta loca cum Monialibus collocuturus accedat. Ab hac tamen lege primo, vel secundo consanguinitatis gradu coniunctos, siuè Clericos, siuè Laicos declaramus immunes, dummodo non cum aliis, quàm cum dicto gradu coniunctis colloquium habeant: exceptos quoque hac lege volumus famulos domesticos, quos iidem consanguinei ad easdem miserint.

Quicunque verò Regulares, qui ad easdem crates, &c. pro vt supra, Moniales quamuis à Iurisdictione Ordinarii exemptas, ac etiam ipsis Regularibus subiectas sinè legitima facultate Sanctæ Sedis à Nobis recognita, vel à Nobis in casibus permissis concessa, alloqui præsumpserint, excommunicationis vinculo ipso facto incurrendæ, Nobisque reseruatæ nouerint se esse innodatos, pro vt Nos innodamus, iuxtà Decreta Card. Sacri Concil. Interpret. die 11. Maii 1669.

Præterea Sacerdotes quicunque, siuè Sęculares, siuè Regulares, quibus quandoque facultatem fecerimus in Ecclesiis Monialium sacra celebrandi, seu Diuinum verbum annunciandi (quod præcipuè munus etiam ij Regulares, ad quos earumdem regimen pertinet, absque nostra benedi-

nedictione exercere prohibentur) exacto ministerio confestim discedant, nec se propterea ad sanctimonialium collocutiones vllo modo diuertant sub iisdem pęnis respectiuè, vt supra.

Ast quoniam in his omnibus circumspiciendis, & Ianitricum, & Abbatissæ, seù Priorissæ præcipuum munus est, hæ sedulò curent, vt hæc ad vnguem seruentur; si secus fecerint, pęnas à S. Can. comminatas incurrent.

Pueros quoque, ac puellas cuiuscunque minimæ ætatis extent, in Monasteria Monialium introduci non patitur S. Episcoporum Congr. 12. Februarii 1594.

Alio similiter Decreto eiusdem Congr. 6. Iunii 1613. emanato cautum est, nè loca per obitum Monialium intrà numerum decedentium pro tempore vacatura cuiquam ad habitum suscipiendum concedantur, nisi vera, realique vacatione subsequuta; quod & obseruandum censemus, & volumus.

Cum autem paupertatis votum, quod solemni professione nuncuparunt, quarumlibet rerum dominium à Monialibus procul eliminet, & ableget alienandi facultatem; tempore mortis caueant, ne alteri per modum donationis, seù legati, aut quauis alia ratione quidquam alienent, quamuis interposito nutu, aut consensu Abbatissæ, seù Priorissæ, quod excedat in totum summam duorum scutorum Venetorum.

Quò ad ingressum puellarum in Monasterium, earumq; educationem, & disciplinam, seruentur ea, quæ ab Illustrissimo, & Reuerendissimo DD. Iacobo Diedo Prædecessore nostro in Synodo Dięc. 1609. in cap. de Monialibus fol. 62. sancita sunt. In reliquis verò, quæ spectant ad susceptionem habitus, ad annum probationis, & ad professionis solemnis emissionem, seruentur, quæ à Concil. Trid. sess. 25. cap. 16. & à S. Cong. Episcoporum 17. Aprilis 1604. declarata, atque decreta fuere; quæ Congregatio cum

tem-

tempore bacchanalium aliquã animi remiſſionem Monialibus concedendam exiſtimet, & concedat; ea tamen debere eſſe honeſtam, & non in liberioris vitæ licentiam declarat. Eapropter habitum ſibi aſſumere virilem, ferro latus cingere, obſcęnos ſermones, quibus caſtæ aures læduntur, multoque magis turpia, vel quæ turpibus proximè accedunt exhiberi, aut repræſentari prohibet, nè virgineus candor decolori voce, aut geſtu non honeſto inficiatur: hac quoque prohibitione afficiuntur moniales Regularibus ſubiectæ.

De bonorum Eccleſiaſticorum tutela.

Cap. XXI.

BEneficiorum Patrimonia, ſiuè Defenſoribus deſtituta, ſiuè à Curatoribus impiè prodita, ſiuè ab inuaſoribus temerè occupata ſępiùs adeò fędè depereunt, vt iurium monumentis vel amiſſis, vel interceptis, ſpes nulla ea in ditionem, & cenſum Eccleſiaſticum vindicandi reliqua videatur. Id malum ne longè ſerpat, omnibus, & ſingulis Capitulo Cathedralis, Seminarii Deputatis, Canonicis, Præpoſitis, Parochis, & Beneficiatis quibuſcunque in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtrictè mandamus, quatenus in termino ſex menſium proximè futurorum, & illis, qui deinceps Beneficia obtinebunt, intrà ſex menſes ab eorum legitima, & quieta poſſeſſione numerandos, omnium bonorum, mobilium, immobilium, iurium, actionum, fictorum, decimarum, cenſuum, ſiuè redditiuum annuorum, & aliorum quorumcunque ad Eccleſias, menſas, beneficia, præbendas, vel adminiſtrationes eorum pertinentium, propoſitis publicis edictis, citatiſque vicinis, & cohęrentibus, ſolemne inuentarium à Notario publico ſubſcribendum, conficiendum curent. Ex quo duo

excm-

exempla authentica extrahantur, vnum asseruandum apud Beneficiatum, alterum verò in Cancellaria Episcopali prȩsentandum, ibique in libro, siue filcia pro talibus inuentariis specialiter destinanda perpetuò custodiendum. Inobedientes, & salutis suæ immemores debitas, Nobis exigentibus, pȩnas dabunt.

De Cathedratico. Cap. vlt.

CAthedraticum iuxtà Sacras Conciliorum Sanctiones Nobis in solemni Synodali sessione debitum, & ab Illustrissimo Ioanne Iacobo Diedo in Synodo sua fol. 63. exactum, ab Illustrissimo verò Baduario in sua fol. 7. remissum, & Nos libenter in præsentium temporum calamitate, & angustia remittimus, & condonamus, sine tamen præiudicio Iurium Ecclesiæ, & Dignitatis Nostræ, quibus hac voluntaria Nostra cessione pro hac vice facta detrimentum inferre non intendimus.

Finalis verò clausula harum nostrarum constitutionum sit, vt omnes, & quascunque aut Nostras, aut Nostrorum Prædecessorum Synodos, atque edicta in suo robore permanere velimus, confirmemus, & innouemus, excepto Decreto Illustrissimi Petri Emi in sua Synodo 1628. §. Conc: prouinc. vsque ad vltimum, quod incipit Cancellarius noster, &c. circa quod, id seruari volumus quod de iure communi Sacrorum Canonũ sancitum est, & non aliter; declarantes mentis nostræ non esse, iniungere obseruantiam Decretorum Prædecessorum nostrorum sub censura aliqua, nisi quoties à Nobis expresse in his nostris Decretis apposita fuerit. Postremò qua debemus, humilitate, reuerentia, atque obedientia Sanctæ Sedis Apostolicæ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Matris iudicio omnia quȩcunq; in hac Synodo constituta sunt, emendanda, corrigenda, augenda, minuenda, & quouis modo mutanda, subijcimus.

Nequis autem horum Decretorum ignorantiam allegare possit, Vniuersis, ac singulis Ecclesiasticis in virtute S. Obedientiæ præcipimus, vt libellum hunc primæ Nostræ Synodi Diȩcesanæ, statim ac Typis fuerit impressus, atq; euulgatus, sibi coemere teneantur.

SS. D. N. CLEMENTIS
DIVINA PROVIDENTIA PP. X.

CONSTITVTIO,

In qua Regularium priuilegia quo ad Prædicationem Verbi Dei, Et Sacramenti Pęnitentię administrationem declarantur.



VPERNA magni Patris familias præordinatione creditum Nobis vniuersalis Ecclesiæ mysticum agrum circumspecta prouidentia custodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) satagentes, animum in eas curas libentèr intendimus, quibus valeant dissidia intèr villicos, & operarios componi, iurgia tolli, scandalis, atq; offensionibus aditus præcludi; Vt quibus vna fides, Vna Mater Ecclesia, & vnus Dominus, qui charitas est, & pacis cogitans cogitationes, fiat etiam cor vnum, atque anima vna; sic etenim euulsis opportunè zizanijs, dum plantamus, & rigamus; incrementum dabit Deus; Quo benedicente messis multa fructu centesimo cæleste in horreum congregabitur.

Sanè cum Sacri Concilij Tridentini decretis prouidè statutum fuerit, vt Regulares cuiuscunq; Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare non possint; cum qua licentia personaliter se coràm Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequàm prædicare incipiant; In Ecclesijs verò, quæ suorum Ordinum non sunt, vltrà licentiam suorum Superiorum etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur; Sinè qua in ipsis Ecclesijs non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint. Atque vt nullus Sæcularis, siuè Regularis etiam in Ecclesijs suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat. Itidemquè cum nullus Sacerdos Regularis possit confessiones Sæcularium etiàm Sacerdotum audire; nec ad id idoneus reputari, nisi aùt Parochiale bene-

ficium

ficium obtineat, aùt ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur; Et approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, & consuetudine quacunque non obstantibus. Innotuit Nobis dubitationes nonnullas circà benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem eiusmodi in aliquibus Diœcesibus excitatas fuisse; ex quibus controuersiæ, & dissensiones permultæ in diem subsequi possent occasione priuilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

Nos attendentes, quod aliàs diuersis temporibus prædictæ dubitationes, & controuersiæ nonnullis Prædecessorum Nostrorum Summorum Pontificum Constitutionibus, earumquè Declarationibus definitæ fuerint. Eiusmodi definitiones in vnum collectas, vt magis, magisquè dissensionum tollantur semina, & in posterum firmior in Agro Dominico pax Christi floreat; pro summo, quo fungimur Apostolatus officio nouis Apostolicis litteris muniendas duximus, & roborandas; Itaquè de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate, doctrina, & prudentia præstantium, & matura deliberatione nostra, atq; ex certa scientia; hac generali, & perpetuò valitura Constitutione decernimus, ac declaramus.

Regulares, qui in Ecclesijs sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere; Prædicare tamèn posse, quàmuis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedùm non concesserit, sed etiam contradixerit, nèc in prædictis quidèm Ecclesijs licere Regularibus prædicare, Eosquè contrauenientes ab illo tanquàm Sedis Apostolicæ Delegato censuris alijsq; pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. rec. Gregorij XV. Prædecessoris Nostri, incipientis, *Inscrutabili Dei prouidentia*, coerceri, & puniri posse; Episcopum tamèn absquè iusta, & rationabili causa contradicere non debere; Et huiusmodi benedictionem teneri etiàm Regulares petere; Si in quibuscumq; Oratorijs sui Ordinis sermonem coràm Populo, vel in Ecclesijs, aùt ad Crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum iurisdictioni subiectarum licèt clausis ianuis & nullus Sæcularis ibi interfit, habere voluerint. Posse autèm Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos, quàuis ab Vniuersitatibus, aùt Magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus im-

immemorabile hanc licentiam absq; examine concedere consueuerint; quoad doctrinam examinare; Si ità ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit. Et licentiam prædicandi semèl ijsdem concessam ob rationabiles causas licèt occultas, prædicationem tamèn concernentes suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesijs suorum Ordinum prædicent.

Ad hęc Religiosos ab Episcopo ad Confessiones sæcularium in sua Dięcesi audiendas approbatos, non posse in alia Dięcesi eas absquè Episcopi Dięcesani approbatione audire, quamuis pęnitentes subditi sint eius Episcopi, à quo ipsi Religiosi iàm fuerant approbati. Et generalitèr approbatos ab Episcopo ad Personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquàm censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subiectarum; Sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione; Atquè approbatos pro audiendis confessionibus Monialium vnius Monasterij minime posse audire confessiones Monialium alterius Monasterij. Itidemquè Confessores extraordinarios semèl deputatos, atquè approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro vna vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis huiusmodi illarum confessiones audire; Sed toties ab Episcopo esse approbandos, quotiès casus deputationis contigerit. Cæterùm in Monasterijs, ac etiàm Collegijs, vbi iuxtà Regularia instituta viuitur, posse tàm Prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium eorumdem Monasteriorum, seù Collegiorum audire confessiones illorum Sæcularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales, non autèm illorum, qui tantùm ipsis deseruiunt. Illos autèm Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generalitèr reperti fuerint, ab Episcopis, generalitèr quoquè, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aùt generis Personarum in Dięcesi propria admittendos. Quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere. Semel autèm simplicitèr approbatos posse in Dięcesi Episcopi approbantis quouis Anni tempore etiàm Paschali, & quorumcunq; etiam infirmorum confessiones audire absquè vlla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamèn confessione teneri dictos Religiosos eorumdem Infirmorum Parochum illicò certiorem reddere; Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi

diendi confessiones præcipi: Sufficere tamèn, vt certioratio huiusmodi fiat saltèm per scripturam apud ipsum Infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint; Constitutioni, quæ incipit *Omnis vtriusq; sexus*, quoad Confessionem dumtaxàt satisfecisse censendos. Regulares verò ad eiusmodi confessiones audiendas præuio examine simplicitèr, & absque vlla temporis præfinitione ab ipsomèt Episcopo, secùs autem si ab eius Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbauit, iterùm examinari; aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi; seù licentias illis concessas reuocari, nisi noua superueniente causa, quę ipsas Confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, vt in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare; sed Sedi Apostolicæ dumtaxàt, vbi eam sibi aperiri postulauerit. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè viuant; vel aliquod delictum cōmittant, per quod rationabili Episcopi iudicio videantur à Confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua Ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas; vtiq; eam causam ad Confessionis ministerium pertinere, ac proindè nihil obstare, quominùs ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis. Attamèn Confessiones audiendi facultatem omnibus simul vnius Conuentus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica nullatenùs posse. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliauè priuilegia Regularibus cuiuscunque Ordinis, Instituti, aut Societatis etiam Iesu concessis factam eis non esse potestatem absoluendi in casibus ab Episcopo sibi reseruatis. Et per Confirmationes dictorum Priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixisse priuilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absoluendi à casibus Episcopo reseruatis.

Et habentes facultatem absoluendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, non ideò à casibus Episcopo reseruatis posse absoluere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reseruatis, non autem in illa, vbi idem Confessor est approbatus absoluere, nisi eosdem Pęnitentes nouerit in fraudem reseruatio-

nis

nis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum priuilegiorumnequaquàm licere Regularibus etiam satisfacta parte absoluere Pęnitentes à censuris quoad externum, & iudiciale forum, & absolutos ab eis in foro Pęnitentiali, vtique non censeri absolutos in exteriori iudicio, & contentioso. Quinimmò Censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiam si à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Priuilegijs coram Episcopo, ab eo iudicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur; Si dictorum priuilegiorum verba obscura sint, & ambigua; non esse ad Metropolitanum prouocandum; sed cum eius sit interpretari, cuius est condere; dictorum priuilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ iudicio, prout aliàs Constitutione Prædecessoris Nostri fel. rec. Clementis IV. statutum fuit; esse requirendum.

Decernentes sic & non aliàs per quoscunq; Iudices Ordinarios, vel Delegatos quauis auctoritate, & dignitate fungentes etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Nuncios, & quosuis alios, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, indicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusuis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcunque personarum, atque quorumuis Ordinum tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, etiam Iesu, ac cuiusuis alterius Instituti etiam necessariò, & in indiuiduo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque tàm Sæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum etiam Iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, Indultis, & Priuilegijs etiam in corpore Iuris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seù Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; Conseruatorum deputationibus, eorumquè, atque alijs inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusuis alijs sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis,

nec-

nec non irritantibus; & alijs decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seù extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, & formis specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis, & insertis habentes, illis quoad ea, quæ eisdem præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris harum serie specialitèr, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Cæterùm quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæq; loca deferri, vt eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad Valuas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ affigi, & publicari. Volentes, quòd earumdem præsentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Prælati, seù personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis in Iudicio, & extrà illud vbi opus fuerit, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum Decreti, Declarationis, Derogationis, Mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. M. Maiorem Anno Incarnat. Dominicę millesimo sexcent. septuagesimo, Vndecimo Kal. Iulij, Pontificatus Nostri Anno Primo.

G. Dat.

Visa de Curia P. Ciampinus.

I. G. Slusius.

D. Ciampinus.

Anno à Natiuit. D. N. IESV CHRISTI 1670. Indict. verò viij, 2. Mensis Augusti, Pontific. autem SS. In Christo Patris, & D. N. D. CLEMENTIS Diuina Prouidentia PP. X. Anno eius primo, præsens Constitutio affixa, & publicata fuit ad valuas Eccl. Lateranen. Basilicæ Principis. Apostolorũ, & Cancell. Apost. & in acie Cãpi Floræ, locis solitis, & consuetis Vrbis per me Hilariũ Centellũ SS. D. N. PP. Curs.

Petrus Ma rcheratus Mag. Curs.

DECRETVM
CIRCA
COMMVNIONEM QVOTIDIANAM.



CVM ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio peruenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere vsum quotidianæ Communionis, etiam in feria sexta Parasceue, & simul affirmari eamdem quotidianam Communionem præceptam esse à iure Diuino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inoleuisse; videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in priuatis Oratorijs, & Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes vlla grauis infirmitatis nota sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares; alijque in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cùm autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit S. Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum, eadem S. Congregatio præuia matura discussione super prædictis vnanimi sententia ita censuit: Etsi frequens, quotidianusue Sacrosanctæ Eucharistiæ vsus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamen, aut sæpiùs illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum re-

puta-

putaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantùm indicauit, cùm inquit: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent*; Idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona paruulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cuiusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, & Coniugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In Coniugatis autem hoc ampliùs animaduertent, cum B. Apostolus nolit eos inuicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacent orationi, eos seriò admoneant, tantò magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reuerentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad Cœlestium Epularum Communionem esse conueniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum inuigilabit, non vt à frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione vnica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; Illudque omninò prouideat, vt nemo à Sacro Conuiuio seu frequenter, seu quotidiè accesserit repellatur, & nihilominus det operam, vt vnusquisquè dignè pro deuotionis, & præparationis modo rariùs, aut crebriùs Domini Corporis suauitatem degustet. Itidem Moniales quotidiè Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, vt in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; Si quæ verò puritate mentis eniteant, & feruore spiritus ità incaluerint, vt dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur; Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum vti, & cum eis constitutum haberi, vt cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem deuoto studio excitantur, debere, siuè Laici ne-

gotiatores sint, siuè Coniugati, siuè quicunque alij, suam agnoscere infirmitatem, vt dignitate Sacramenti, ac Diuini iudicij formidine discant cęlestem mensam, in qua Christus est, reuereri; Et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad maiorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget huiusmodi deuotio erga Sanctissimum Sacramentum pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, & iudicij temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, vt omnis irreuerentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur. Quod abundè continget, si ij, qui deuoto huiusmodi studio, diuina præstante gratia tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentiùs refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueuerint: Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cælesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, vt suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porrò Episcopi, & Parochi, seù Confessarij redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de iure Diuino, doceant in Ecclesijs, seù Oratorijs priuatis, ex dispensatione, seù Priuilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam, nec eam vllo modo deferendam in Crumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa iuxta formam Ritualis Romani; Si verò ab Oratorio priuilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, vt circa Communionem in feria sexta Parasceue, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ vsus seruentur; insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seù particulas, neque grandiores, sed consuetas; Non permittant, vt venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarij etiam Regulares, aut quicunque alij Sacerdotes secùs egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque de futuram Episcoporum, & Ordinariorum iustam, ac rigorosam animaduersionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Iesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinarijs per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialitèr attributa.

Et

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbauit, ac præsens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c.

Datum Romæ 12. Februarij 1679.

F. Card. Columna Præf.

S. Archiepisc. Brancaccius Episc. Viterbien. Secr.

Die 15. Mensis Februarij 1679. Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per vrbem ad valuas Curiæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Ægidium Felicem SS. D. N. PP. Cursorem. Pro D. Magistro Cursorum Gregorius Staggius Apost. Curs.

CASVS RESER. IN CIVIT., ET DIOEC. CREM.

De Mandato Illustrissimi, & Reuerendissimi

D. D. MARCI ANTONII ZOLLII

DEI, ET APOST. SEDIS GRATIA EPISC. CREMEN.

Adempta facultate omnibus Confessarijs ab illis absoluendi, sine speciali Suæ Illustrissimæ Dominationis licentia, & delegatione.

1 OMnes Censuras latæ sententiæ contentas in Synodis nostræ Diecesis, & alias omnes à iure communi, vel constitutionibus Apostolicis Nobis reseruatas.

2 Qui blasphemiam in Deum, vel B. Virginem protulerint.

3 Qui ad Moniales ad prauum finem accesserint, aut literas, vel personas internuncias ad easdem miserint ad eumdem prauum finem.

4 Qui in iudicio falsum testimonium dixerint etiam si nullius damno; quiue testes ad id metu, fraude, vel pretio induxerint; vel scripturas publicas falsificauerint; aut stateras, mensuras, monetasque adulterauerint, vel corruperint.

5 Qui homicidium voluntarium per se, vel per alios perpetrauerint, siue consilium, vel auxilium præstiterint.

6 Qui studiosè procurauerint abortum etiam fetus inanimati, si sequatur effectus; quiue filios detinuerint in lecto ante annum completum absque cautione præscripta, sine nostra, vel Delegatorum à Nobis licentia: quiue filios prædictos ex negligentia suffocauerint.

7 Qui incestum cum consanguineis, vel affinibus in primo, vel secundo gradu commiserint. Item qui bestialitatem, aut nefandum Sodomiæ peccatum perpetrauerint.

8 Viuentes in concubinatu, seu adulterio, licet non cohabitent, postquam à Nobis, vel à Parocho eorum moniti fuerint.

9 Qui Patrem, aut Matrem verberauerint.

10 Qui Pijs legatis satisfacere neglexerint vltra biennium: ac Notarij qui illa denunciare distulerint vltra bimestre.

11 Qui Locis Pijs infantes exposuerint, cum habeant vnde illos alant, neque eorum locorum damna resarciuerint.

12 Qui Pater, aut Mater, aut Vir consenserit vt filia, aut vxor se prostituat.

LIMITATIONES

Quibus restringitur facultas

CASVVM RESERVATORVM

Alicui Confessario simpliciter concessa, vel concedenda in Ciuitate, & Diœcesi Cremensi.

1 NON conceditur.

2 Conceditur, dũmodo earũ absolutio non pertineat ad S. Off. Inquisit.
3 Non conceditur.

4 Non conceditur quoad falsum testimonium in iudicio: quoad cętera conceditur.

5 Non conceditur.

6 Conceditur, non sequuto effectu mortis fętus animati: quo verò ad suffocantes non conceditur. In reliquis conceditur.

7 Quo ad incæstum pro fęminis conceditur: pro maribus verò in primo gradu non conceditur. Cętera conceduntur.

8 Non conceditur, nisi præuia desertione occasionis proximæ.

9 Conceditur, dummodo non grauiter iudicio Confessarij.
10 Conceditur in tertio, & quarto anno dilationis; & non vltra, nisi præuia satisfactione, & denuntiatione.
11 Conceditur pro primo anno post expositionem, cęterùm non conceditur, nisi facta compensatione, cessante causa inopiæ.
12 Non conceditur.

IN-

86

INDEX CAPITVM.





